



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

Tanner, Adam

Ingolstadii, 1626

Quæstio V. De Ordine ac progressu Prædestinationis in mente diuina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

QVÆSTIO V.

De ordine ac progressu Prædestinationis in mente
diuina.

S. Thomas I. p. q. 23. a. 4. 5. 7.

Non parum hæc quæstio facit ad rationem & magnitudinem beneficii prædestinationis cognoscendam. Et verò sermo est de prædestinationis ordine, quem habet in mente diuina, secundum rationem nostram; facta comparatione prædestinationis nostræ, siue cum alijs, quæ non sunt effectus prædestinationis particularis singulorum; ut sunt 1. prædestinatio Christi. 2. permissio peccati. 3. prædestinatio aliorum, tum hominum, tum Angelorum: siue prædestinatione vniuscuiusque effectus comparata cum prædestinatione alterius effectus; puta gratia ipsius congrua, cum nostra cooperatione, seu cursu rerum & occasionum, quæ cum ipsa coniuncta sunt: aut gloria, cum meritis, alijsve salutis medijs; aut denique ipsorum etiam graduum gratiæ & gloriæ in indiuiduo, cum eadem cooperatione nostra, eiusve permissione.

2 Secundum quam varietatem comparationis hæc quæstio decem dubitationibus absoluetur. I. An, & qua ratione ac modo, seu ordine, Deus pro saluandis prædestinet, ac seligat peculiarem quandam gratiam congruam, electorum propriam. II. Sitne in mente diuina, secundum rationem nostram, aliquis ordo prioritatis, inter prædestinationem vel præuisionem meritorum, seu mediolorum in particulari, & prædestinationem ipsius gloriæ. III. Vtrum in diuina mente, Electio seu prædestinatio ad gloriam, antecedit voluntatem efficacem & præscientiam meritorum seu mediolorum, vel contra; speciatim quid hæc de re tum ceteri Doctores, tum præcipue S. Augustinus, & S. Thomas senserint. IV. Quid hæc de re absolute & secundum rei veritatem sentiendum sit. V. Qua ratione diluende sint obiectiones, contra gratuitam prædestinationem, ac selectionem ad gratiam & gloriam. VI. An etiam certi gradus gratiæ & gloriæ, omnesque actus & media, quibus prædestinati efficaciter promouentur ad gloriam obtinendam, in indiuiduo, & secundum omnes suas circumstantias, sint à Deo prædefinita, ante præuisionem nostræ cooperationis seu determinationis, ipsamve cooperationem nostram. VII. Vtrum in diuina mente, secundum rationem nostram, prior sit prædestinatio Christi, an nostra. VIII. Vtrum in diuina prædestinatione, secundum rationem nostram, prior sit permissio peccati, quam electio nostra. IX. An & quo ordine prædestinatio nostra se habeat ad prædestinationem aliorum, seu hominum, seu Angelorum. X. Quenam proinde sit series, quæ sit ordo omnium actuum diuinæ mentis, concurrentium, seu affinitatem habentium cum prædestinatione nostra.

DVBIVM I.

An, & qua ratione ac modo, seu processu, Deus pro saluandis prædestinet & seligat peculiarem quandam gratiam congruam, prædestinatorum propriam.

S. Thom. I. p. q. 23. a. 4.

3 Constat quidem ex dictis quæst. 3. & 4. nullam ex parte prædestinati dari causam motiuam, ad conferendam primam gratiam congruam, electorum propriam, hoc est, quæ iuxta præscientiam Dei mediam, infallibilem habeat connexionem cum perseverantia finali, & salute æterna ipsius prædestinati: sed an & qualis omnino ea sit gratia, & quo modo & ordine respectu cursus rerum, & occasionum, ad cooperationem nostram conducentium, à Deo pro

electis ipsis prædefiniatur, nondum satis constat: & est tamen in hac re (certè non paulò magis, quam in ea controuersia, an Deus prædestinet gloriam, ante præuisionem meritorum) plurimum momenti; tum ut intelligamus quo affectu Deus erga electos feratur; tum ut tantò clarius fiat, eam primariò & radicaliter ex sola gratuita Dei misericordia, non ex aliqua ipsius prædestinati cooperatione, vel causarum secundarum dispositione, potissimum

proue-

prouenire: præsertim quando et si Catholici Doctores, euidentia veritatis conuicti, in eo iam omnes conueniunt, nullam ex parte prædestinati causam esse prædestinationis ad primam gratiam congruam; nonnulli tamen, bonis, vt existimant, rationibus ducti, in eo admodum sibi laborandum esse censuerunt, ne diuinæ prædestinationi vndequeque primas in distributione gratiæ congruæ tribuisse videantur, antecedenter & independentè à causarum secundarum dispositione, ipsiusque hominis cooperatione.

4 Et vt status controuersia intelligatur, animaduertendum est, tribus modis intelligi posse, Deum prædestinasse gratiam saluandis. Primo, vt illis solum destinauerit gratiam, qua saluari possent; non qua infallibiliter saluarentur. Secundo, vt destinauerit quidem illis gratiam, per quam, supposita scientia conditionata, infallibiliter saluarentur, sed non propriè secernendo & seligendo pro illis gratias congruas ab incongruis; sed absolute destinando eas, quas cursus rerum, & circumstantiarum opportunitas secum ferrent, aut postulerent. Tertio, ex peculiari affectu & amore erga saluandos, etiam consulto seligendo & secernendo gratias congruas ab incongruis; itaque cursum rerum consulto temperando, prout ad gratiæ congruitatem, vsumque ac prædestinati salutem opportunum fore perspexerat: ita vt non propterea gratia congrua saluandis prædestinaretur, quia sic cursus rerum vel circumstantiarum opportunitas postuleret; sed cursum rerum ita temperandum, occasioneque ita temperandas statueret Deus, quia ea ratione gratia saluandis congrua esset futura.

5 His positis, fuit ea olim Massiliensium hac de sententia, seu potius error, vt refert etiam Vasquez disputatione 98. cap. 4. & disput. 101. numero 3. prædestinatis non fuisse à Deo prænitam peculiarem gratiam operantem ad perseuerandum, quæ certo Deus cognosceret eos perseueraturos, sed omnibus prouidisse communem gratiam, qua perseuerare possent, & non perseuerare. Ideoque in prænititione auxiliorum gratiæ operantis, incertum & indefinitum numerum prædestinatorum Deo esse putabant.

Colligitur id ex Hilario Arelatensi epistola ad Augustinum, quæ habetur ante librum de prædestinat. sanct. vbi contra Augustini doctrinam refert murmurationem Massiliensium his verbis: [Deinde moleste ferunt, ita diuidi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, vt ille acceperit perseuerantiam, non qua fieret, vt perseueraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseuerare non posset; nunc vero Sanctis, in regnum per gratiam prædestinatis, non tale adiutorium perseuerantiæ detur; sed tale, vt eijs perseuerantia ipsa donetur, non solum vt sine isto dono perseuerantes esse non possent, verum etiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. His verbis Sanctitatis tuæ ita mouentur, vt dicant, quandam desperationem hominibus exhiberi. Si enim, aiunt, ita Adam adiutus est, vt stare posset in iustitia, & à iustitia declinare, & nunc ita Sancti iuuantur, vt decli-

nare non possint (siquidem eandè acceperunt volendi perseuerantiam, vt aliud velle non possint) vel sic quidam deseruntur, vt aut nec accedant, aut si accesserint, & recedant; ad illam voluntatem (*Adami*) pertinuisse dicunt exhortationis, vel comminationis vtilitatem, quæ & persistendi & desistendi obtinebat liberam potestatem; non ad hanc, cui nolle iustitiam, ineuitabili necessitate coniunctum est. *Et infra*: Vnde & in hoc solo volunt à primo homine omnium distare naturam, vt illum integrum viribus voluntatis iuaret gratia volentem, sine qua perseuerare non poterat; his autem amissis & perditis viribus, credentes tantum, non solum erigat, prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes. Verum quicquidlibet donatum sit prædestinatis, id posse & amittere & retinere propria voluntate, contendunt.] Ita de Massiliensibus Hilarius.

6 Conuenire cum Massiliensibus videtur *Ægidius Hunnius*, *Lutheranus*, de prædest. fol. 948. vbi negat, definitum esse electorum numerum, nisi ratione *æternitatis* ac præscientiæ: & fauent eidem doctrinæ non nihil *Lutherani* in libro Concord. tit. de lib. arbit. & de æterna prædestin. vt dictum quæst. 4. dub. 3.

Secunda sententia est quorundam recentiorum, (vide *Lessium* disput. de prædest. hom. sec. 5. à numero 51.) qui non negant quidem, prædestinatis eam à Deo gratiam decerni, cum qua infallibiliter perseueraturi cognoscantur; & reprobis aliam, qua infallibiliter non perseueraturi præsciuntur; sed addunt tamè, Deum in gratiarum destinatione pro electis & reprobis, non discernere & seligere gratias congruas ab incongruis, illas deputando electis, has reprobis: sed dare suam gratiam, qualem fere cursus rerum & opportunitas circumstantiarum postulat; non curando, sitne congrua, vel incongrua. Qui etiam negant, Deum in electione mediolorum circa saluandos hoc obseruare, vt procuret eis media efficacia, vt talia sunt, vt per illa infallibiliter salutem consequantur. Non enim Deus, inquit, in distributione gratiarum, hoc potissimum spectat, sintne habituræ effectum, annon. Neque eas, quas videt habituras effectum, secernit, pro electis, eo potissimum nomine, quia effectus sequetur; alioqui eas non daturus; neque quas videt frustrandas secernit pro reprobis, &c.

Inducti sunt autem in hanc sententiam, tum alijs rationibus inferius refellendis dub. 5. tum ne fateri cogentur, prædestinationem ad gloriam factam esse ante præuisionem meritorum seu mediolorum, si gratia efficax, qua talis, selecta est à Deo pro electis, peculiari amore, vt dicitur dub. 4. Contra quam sententiam differit *Suarez* libro 3. de auxil. cap. 19. num. 3.

7 Huc spectant etiam illi, apud *Suarez* hic libro primo de prædestin. capite decimo, qui docent, ipsa media siue auxilia gratiæ, tanquam infallibiliter profutura (seu qua efficacia sunt) non prædefiniri ante præuisionem cooperationis nostræ, in particulari; sed in confuso & indeterminatè, hoc vel illud, ita vt si vnum non habeat effectum, alterum habeat: quod à nonnullis et-

iam tribuitur S. Thomæ quæstione sexta, de Verit. artic. 3. Sed reuera non ita sentit; & contrarium docet 1. 2. quæst. 112. articulo quarto, ut dicemus.

Ex eo verò sententia sequi videtur, prædestinationem gratiæ congruæ nec supponere in Deo dilectionem efficacem prædestinati, nec præcedere futuritionem absolutam circumstantiarum & occasionum, quas naturalis rerum cursus secum adfert, & ex quibus accidit, ut ab effectu ipso secutura cooperationis vna dicatur congrua & efficax, alia incongrua & inefficax.

8 Tertia sententia est, quæ tametsi fatetur, Deum ex peculiari amore erga electos, ante omnem præuisionem aut futuritionem absolutam earum occasionum, quas cursus rerum secum adfert, atque etiam ante cooperationem ipsius hominis, & ab eaindependenter, prædefinire pro electis eam gratiam, cum qua antea eos scientia media seu conditionata infallibiliter cooperaturos esse cognouerat, ac proinde etiam ex eodem amore pro electis discernere gratias congruas ab incongruis, asserit tamen, gratiam congruam & efficacem, formaliter talem non esse, nec dici, nisi ab ipso euentu secutura cooperationis: quo fit etiam, ut quamuis Deus illam gratiam, quæ efficax est, præfinierit ante futuritionem cooperationis nostræ, gratiam tamen efficacem, qua formaliter efficax est, non prædefinierit ante secuturam cooperationem, à qua denominatur: cum denominatio supponat formam denominantem. Ita docet Molina hic quæstione vigesima tertia, articulo quarto & quinto, disputat. 1. memb. 6. Valquez disput. 95. numero 6. & 7. & disput. 95. num. 63. & alij nonnulli recentiores. Et consentiant vtriusque huius sententiæ authores, in nobis esse conditionem, seu potius rationem & causam, ut vocatio prima, quæ connexionem habet cum perseverantia finali, non quidem nobis prædestinetur vel conferatur, sed sit efficax, & pertineat ad prædestinationem, non ad communem providentiam, ut videre est apud citatos ibidem, & alios.

9 Quarta sententia est Gregorij de Valentia quæstione vigesima tertia, punct. 4. §. 4. Versu secundo obseruandum, vbi negat, adulti prædestinationem, quoad vllum effectum, etiam loquendo de prima gratia congrua, fuisse omni ratione priorem ipsa præscientia absoluta cooperationis perseverantis; sed potius hanc ait, fuisse quadam ratione simul cum decreto cuiuslibet effectus prædestinationis, qua talis. Sed hanc sententiam quia simul etiam gloriæ prædestinationem concernit, commodius dubio sequenti expendemus.

Assertio I. DEVS reipsa omnibus prædestinatis præfinit peculiarem gratiam congruam ad perseverandum, qua Deus certo & infallibiliter cognoscit, eos perseveraturos. Hæc est certa, & indubitata omnium Catholicorum sententia, contra primum illum Massiliensium errorem superius relatum; quem merito etiam refellit Valquez citata disputatione nonagesima octaua capite quarto. Probatur ex Scriptura, adiuncta

Augustini explicatione, qui contra Pelagianos ex eadem Scriptura sæpius probat, ex diuina voluntatis ac gratiæ dispositione potissimum pendere, quod homines ad Deum conuertantur, & perseverent, Deumque in cordibus hominum, non solum operari, ut possint bene operari, sed etiam ut reipsa operentur, & velint. Ioannis sexto, versu quadragesimo quarto. *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum.* In quem locum Augustinus libro contra duas epistolas Pelagianor. cap. decimo nono. [Trahitur ergo, inquit, miris modis, ut velit, ab illo, qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.] Vide plura in eundem sensum ibidem. Et ad Romanos nono, versu decimo octauo. *Cuius vult miseretur; & quem vult indurat.* Vbi rursum Augustinus epistola centesima quinta. [Cur autem, inquit, ille credat, ille non credat, cum ambo idem audiant, & si miraculum in eorum conspectu fuerit, ambo idem videant, altitudo est diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia, dum cuius vult miseretur, & quem vult indurat.] Et libro primo ad Simplicium quæstione secunda. *Si vellet, inquit, ipsorum etiam misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut se mouerentur, & intelligerent, & sequerentur.* Et paulo post: *Illi electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant, neque conseruabantur uocationi non electi, quia non secuti; quamuis vocati. Et inferius: Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

Huc etiam spectat illud Apostoli ibidem versu decimo sexto. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* In quæ verba rursum Augustinus libro 1. ad Simplicium quæst. 2. *Non igitur ideo dictum, est putandum; Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; quia nisi eius adiutorio non possumus adipisci, quod volumus: sed ideo potius, quia nisi eius uocatione non volumus.* Et infra: *Item verum est, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia etiam si multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur.* Plura assertione sequenti.

Idem colligitur ex Concilio Tridentino sess. 6. capite 13. & can. 16. vbi definitur, actuale perseverantiam vique ad finem, electorum propriam, esse peculiare donum gratiæ diuinæ; quod aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est, eum qui stat, statuere, ut perseveranter stet, & eum qui cadit, restituere. Datur igitur à Deo omnibus vsque in finem perseverantibus peculiari gratia ad perseverandum; & quia quod DEVS in tempore facit & operatur, etiam ab æterno præfinit, nec intentio ac propositum Dei frustrari vnquam potest, consequens est, omnibus prædestinatis à Deo præfinit peculiarem gratiam ad perseverandum non tantum qua perseverare possint, sed etiam qua infallibiliter perseveraturi sint, supposita saltem scientiæ media seu conditionata, quam Deus ante omnem actum liberum suæ voluntatis de conditionatis omnibus habet, ut dictum disputatione præcedenti quæstione octaua, dubio quinto.

Vnde.

Vnde etiam petitur ratio. Deus enim in thesauris potentie & sapientie sue reconditos habet infinitos modos & media, quibus per scientiam conditionatam nouit, hunc vel illum hominem infallibiliter perseueraturum, si ei applicarentur: Dum ergo eiusmodi media nonnullis prædefinit, peculiarem eis gratiam congruam prædefinit, quâ infallibiliter cognoscit, eos perseueraturos. Plura assert. 2. & 3.

12 Assertio II. DEVS ex singulari dilectione & cura erga prædestinatos, non ex præscientia absoluta occasionum, quas ipse per se rerum cursus exhibet, pro prædestinatis secernit & seligit, adeoque seligendo prædestinat eam gratiam operantem seu præuenientem; quam eis congruam & efficacem esse futuram, si daretur, ante præscientiam mediam seu conditionatam præuiderat; volendo & prædefiniendo eis efficax id auxilium speciali cura & providentia, ob hoc ipsum etiam, vt sit efficax. Hæc assertio, est contra secundam sententiam superius relata; & sumitur primum ex S. Thomâ hic quæstio. vigesima tertia, articulo quarto, ubi ait: [Prædestinatio secundum rationem præsupponit electionem, & electio dilectionem. Et rationem subiungit: Quia prædestinatio est pars providentiae. Providentia autem, sicut & prudentia, est ratio in intellectu existens, præceptiua ordinationis aliquorum in finem. Non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis. Vnde prædestinatio aliquorum in salutem æternam; præsupponit secundum rationem, quod Deus illorum velit salutem.] Vnde manifestè colligitur, iuxta S. Thomam, prædestinationem ad gratiam electorum propriam, supponere dilectionem, & electionem efficacem ad gloriam; ac proinde pro obiecto habere gratiam congruam quâ efficax medium est salutis prædestinatorum, vt infra dicitur.

13 Et clarius ibidem respons. ad prim. ait Sanctus Thomas. [Si consideretur communicatio bonitatis diuinæ in communi, DEVS absque electione bonitatem suam communicat, in quantum scilicet nihil est, quod non participet aliquid de bonitate eius. Sed si consideretur communicatio istius vel illius boni, non absque electione tribuit; quia quædam bona dat aliquibus, quæ non dat alijs. Et sic in collatione gratiæ & gloriæ attenditur electio. Vbi Sanctus Thomas expresse docet, DEVM ex peculiari electione prædestinationis conferre gratiam.]

Et rursum in 1. 2. quæst. 112. artic. 4. de præparatione ad gratiam ex parte hominis, loquens ait: [Sed ex hac parte non potest accipi prima ratio huius diuersitatis (quare in uno sit maior gratia, quam in alio:) quia præparatio ad gratiam non est hominis, nisi in quantum libere arbitrium eius præparatur à Deo. Vnde prima causa huius diuersitatis accipienda est, ex parte ipsius DEI, qui diuersimodè sue gratiæ dona dispensat:] vtique consilio & electione.

14 Huc etiam spectat, quod Sanctus Thomas hic

quæst. 23. articulo octauo, his verbis docet. [Sed aduertendum, quod numerus Prædestinatorum certus Deo dicitur, non solum ratione cognitionis, quia scilicet scit, quot sint saluandi; sic enim Deo certus est etiam numerus guttarum pluiæ, & arenæ maris; sed ratione electionis & definitionis cuiusdam. Et infra: Vnde certus est, inquit, Deo numerus prædestinatorum, non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum cuiusdam principalis præfinitionis. Non sic autem omnino est de numero reprobatorum, &c.] De qua re plura quæstione sequenti. Certè hic aperte docet Sanctus Thomas, numerum certum & determinatum electorum, etiam in individuo, esse à Deo per se præordinatum & prædefinitum: quod fieri non posset, nisi etiam specialis illa gratia congrua per se à Deo præfinita esset.

15 Idem communiter sentiunt alij Theologi; quando docent, dilectionem efficacem supponi à prædestinatione, vt dictum quæstione secunda dubio ultimo, item quando aiunt, electionem ad gloriam priorem esse prædestinationem mediorum; vt dicitur dubio tertio, quo fit, vt ipsa etiam gratia efficax, qua efficax, electis fuerit à Deo prædestinata & selecta: denique dum docent, inexplicabilis esse consilij diuini, cur vnus fuerit prædestinatus ad gratiam congruam, alter non item, vt dictam quæstione præcedenti, dubio primo & quinto. Quas ob causas etiam existimo, oppositam sententiam esse nouam & singularem, nec probabilem. Ad quem modum etiam Suarez libro tertio de auxilijs capite decimo nono numero tertio eam refellens, censet esse alienam à doctrina Augustini, & Scripturis non consonam. Consentit his Valquez disputatione 89. capite 13. qui etiam disputatione 98. capite 3. & 4. fusè communem illam sententiam tuetur, omnes qui vocationi respondent, maiori antecedentis gratiæ beneficio fuisse excitatos, quam eos, qui gratiæ præuenienti resistunt. Et numero vigesimo quinto ait. [Habemus igitur ex sententia Augustini, Cælestini, & Innocentij, in eo, qui perseuerat, speciale donum perseuerantiæ reperiri; ac proinde maiori gratia (in ratione beneficij) semper excitari, quam eum, qui vocanti non responderet; & oppositam sententiam, quâ nonnulli Scholastici sequuntur, Massiliensibus quondam placuisse.] Certè Massiliensium error fuit, vt in sua epistola ad Augustinum refert Hilarius, quod nollet ita perseuerantiam prædicari, vt non vel suppliciter merevi (merito infallibili) vel amitti contumaciter possit. Nec dissentit à posita assertione Molina hic quæstione vigesima tertia, articulo quarto & quinto, disputatione prima, membro sexto, & vndecimo, & est communis omnium Thomistarum.

16 Probatur assertio primo ex Scriptura, quæ varijs modis eam indicat. Primo quidem, quando rationem diuinæ electionis vnus præ altero ad inscrutabilia DEI iudicia refert, plenamque admirationis esse testatur, vt est illud Apostoli: *O altitudo*, &c. & plura similia relata quæstione præcedenti, dubio primo. Nullam autem haberet ea res admirationem;

si Deus, quantum est ex se, suam gratiam indifferenter communicaret omnibus, qualem cursus rerum & opportunitas circumstantiarum postulat, non curando, sit ne congrua, an incongrua.

Secundò, quando prædestinationem ad gratiam, peculiari Dei misericordia & beneuolentiæ erga electos tribuit. Vt sunt illa præcedent. assertio citata, Rom. 9. vers. 15. *Miserebor cuius misereor: & misericordiam præstabo, cuius miserebor. Ignor non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Non esset autem singularis gratia & misericordia erga electos, si Deus ex sua parte omnibus ex æquo talem offerret gratiam, qualem cursus rerum & opportunitas circumstantiarum postulat; neque gratiam congruam, quatenus & quia congrua est, pro electis fecerneret. Sicut etiam à Principe nulla singularis gratia erga vnum aliquem ostenderetur, ex ijs, quibus pari affectu singulis singulos sine discretione equos, uti occasio & cursus rerum ferret, dono daret; esto vnus eorum equo bene vteretur, alij malè.

Quod si quis dicat, in hoc ipso tamen maiorem Dei erga prædestinatos elucere amorem, quod eos in ea serie rerum collocavit, in qua illis gratia accederet congrua & opportuna. Respondeo: Aut Deus in hac ipsa serie ordinanda attendit adhanc opportunitatem, eiusq; rationem habuit; aut non: si habuit, ergo hoc ipso selegit gratiam congruam electis, ob quam hanc potius, quam aliam seriem præordinauit: si nullam eius rationem habuit, certè nullus in hoc cernitur peculiaris beneuolentiæ affectus, quando quasi præter intentionem dantis, donum ipsum aliunde opportunum accidit accipienti.

17 Tertio idem indicat scriptura, quando discretionem inter prædestinatos & reprobos tribuit gratuita electioni Dei. Vt Rom. 9. vers. 12. *Vt secundum electionem propositum Dei maneret. Non ex operibus, sed ex vocante dictum est; quia maior seruet minori.* Rom. 11. vers. 5. *Reliquia secundum Electionem gratia salua facta sunt.* Item 1. Cor. 4. vers. 7. *Quis enim te discernit? quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Secundum oppositam autem sententiam, discretio inter prædestinatum & reprobum, partim cooperationi ipsius prædestinati, partim cursui rerum & opportunitati circumstantiarum, ex communi Dei prouidentia constitutæ, non peculiari electioni Dei esset tribuenda.

Quarto huc specialiter faciunt omnia loca & exempla Scripturæ, quibus testatum fit, Deum ex peculiari consilio, & voluntatis suæ proposito, & amore, electos præordinasse ad gratiam congruam, seu alia præuenientis gratiæ beneficia, quæ ad gratiam congruam pertinent. Vt quando Genes. 39. vers. 39. de Iosepho dicitur: *Dominus erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat.* Dicat, qui volet, ea quæ Iosepho obtigerunt peculiaris gratiæ adminicula, ex consueto cursu rerum & opportunitate circumstantiarum accidisse. Certè aliter loquitur

Iosephus de seipso, Genes. 45. numero 8. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Et capit. 50. vers. 19. *Num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me.* Huic similis est locus Tobia capit. 13. vers. 4. vbi Tobias senior ait: [*Quoniam ideo disperfit vos intergentes, quæ ignorant eum, ut vos enarretis mirabilia eius, & faciatis scire eos, quia non est alius Deus Omnipotens, præter eum. Ipse castigauit nos propter iniquitates nostras, & ipse saluabit nos propter misericordiam suam.*]

18 Similiter specialem Dei curam & prouidentiam erga gentem Israeliticam, præcipuè verò erga electos ex ea gente, declarat Moyse Deuter. 4. vers. 32. [*Interroga de diebus antiquis, qui fuerant ante te, ex die, quo creauit Deus hominem super terram, à summo cælo vsque, ad summum eius, si facta est aliquando huiusmodi res, aut vnquam cognitum est, ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti & vixisti: si fecit Deus, ut ingrederetur, & tolleretur sibi gentem de medio nationum, per tentationes, signa, atque portenta, per pugnam & robustam manum, extantumque brachium, & horribiles visiones iuxta omnia, quæ fecit pro nobis Dominus Deus vester in Ægypto, videntibus oculis tuis: ut scires, quoniam Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum. De cælo te fecit audire, vocem suam, ut doceret te, & in terra ostendit tibi ignem suum maximum, & audisti verba illius de medio ignis, quia dilexit patres tuos, & elegit semen eorum post eos. &c.*] Equidem negari non potest, signa illa & portenta, quæ filijs Israel acciderunt, tum in Ægypto, tum in egressu ex Ægypto, pertinuisse ad gratiæ congruæ auxilia, eorum respectu, quibus ea fuerunt efficax salutis obtinendæ causa; & vnde, hæc profecta? an ex consueto rerum cursu & ordine? Non certè, sed quia *Deus dilexit Patres Israelitici populi, & elegit semen eorum post eos.* Electio ergo præcedebat; & hinc profecta est illa tam stupenda gratiarum diuinarum distributio. Quod clarius patet ex Deuter. 7. vers. 6. [*Te elegit Dominus Deus tuus: ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. Non quia cunctas gentes numero vincetis vobis iunctus est Dominus & elegit vos; cum omnibus sitis populis pauciores, sed quia dilexit vos Dominus. Et quid clarius isto Ierem 31. vers. 3. In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans.*] Vides tractionem gratiæ congruæ ex charitate & singulari dilectione Dei profecti.

19 Idem præcipuè patet ex illo Sap. 6. v. 17. vbi dicitur: *Quoniam dignos seipsa (diuina Sapiencia) circū quærens, & in vjs ostendit se illis hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis.* Vbi non est sermo de dignis secundum præsentem dispositionem, hos enim non quæreret sapientia, utpote iam antea sibi coniunctos; sed de ijs, qui prædestinati sunt ad hoc, ut sint & fiant digni: hos quærit sapientia, & in omni prouidentia

seu negotio occurrit illis, vt eos ad finem vsque feliciter perducat.

Idem patet ex Actorum vigesimo secundo, versu decimo quarto, vbi ita ad Saul loquitur. Ananias: *Deus Patrum nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius, vt videres iustum, & audires vocem ex ore eius.* Item ex historia Apostolatus Philippi, & conuersione Eunuchi Candacis Reginae, Actorum octauo, versu vigesimo sexto, vbi dicitur: [Angelus autem Domini locutus est ad Philippum dicens, surge & vade contra meridianum, ad viam. quæ descendit ab Hierusalem in Gazam; hæc est deserta. Et surgens abiit. Et ecce vir Æthiops, eunuchus potens Candacis Reginae Æthiopum, qui erat super omnes gazas eius, venerat adorare in Hierusalem, &c. Dixit autem, Spiritus Philippo; Accede & adiunge te ad currum istum. *Et rursum versu 39.* Cum autem ascendisset de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus.] Quis non videt, hæc ad peculiarem Dei curam, non ad consuetum ordinem cursus rerum pertinere? Et quid illud Actor. 16. v. 6. quod Paulus & Timotheus, [transcuntes Phrygiam, & Galatiæ regionem vetati sunt à Spiritu sancto loqui Verbum Dei in Asia. Cum autem venissent in Mysiam, tentabant in Bythiniam, & non permisit eos Spiritus Iesu. Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem, & visio per noctem Paulo ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens, transiens in Macedoniam adiuua nos.] An vero hic quicquam dicet, à cursu rerum occasionem euangelizandi oblatam: & non potius ad conciliandam occasionem à Deo cursum reru fuisse attemperatum? Denique generale est illud Ephes. 1. v. 11. In quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius (*non iuxta cursum rerum*) qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ (*non iuxta exigentiam occasionum*) vt simus in laudem gloriæ eius, qui ante sperauimus in Christo.

20 Certè vocatio Pauli, aliorumq; Apostolorum, vt & Moyfis ac Prophetarum, imò & Abrahæ ac Patriarcharum, aliorumq; Sanctorum, longè fuit excellentior, quam vt eam cursus rerum ordinarius, ex ordinaria & communi diuinæ prouidentia dispositione adportare posset: cum in ea multa sæpe præter naturæ ordinem, & supra consuetum diuinæ prouidentia modum, etiam miraculose gesta sint. Ex quibus ipsis etiam colligitur, etiam si in alijs cursus rerum non ita semper immutetur, eam tamen ipsam seriem & dispositionem rerum peculiari consilio & amore ita fuisse à Deo ordinatam ac dispositam, vt oblata electis vocatio congrua & efficax esset; seu quia iuxta eam dispositionem illis congrua erat futura.

Huc deniq; spectat illud Sap. 4. v. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Vbi præmatura etiam mors, seu ablatio ex hac vita, eo consilio aduenisse prædestinato dicitur, ne irrita esset eius vocatio. Et quod de electis dicitur Matth. 24. v. 22. *Propter electos breuiabuntur dies illi: præscindendo vtique, non sequendo cursum rerum.*

Tom. I.

21 Secundo probatur assertio ex S. Augustino, qui sapissime docet, Electos à Deo peculiariter à Deo vocari, nimirum vocatione *secundum propositum*, non reprobos: idque esse inscrutabilis iudicij diuini, vt dictum quæstione secunda dubio primo. Item electos à Deo esse *altiori iudicio* à perditionis massa gratiæ prædestinatione discretos, eamque esse causam, cur hi credant & saluentur; alij non item. Sic enim loquitur libro secundo de bono perseuer. cap. 14. [Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant: & tamén si Dei altiori iudicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta diuina, vel facta, per quæ possent credere, si audirent vtique talia, vel viderent. *Et infra:* Sed nec illis (*Tyrijs & Sydonijs*) profuit, quod poterant credere; quia prædestinati non erant ab eo, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & inuestigabiles viæ: nec istis (*Iudeis*) obfuit, quod non poterant credere, si ita prædestinati essent, vt eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre.]

22 Huc spectant complura alia testimonia Augustini, apud quem res hæc est certissima, vt bene, Suarez loco citato, nec omnino dissimulant aduersarij; dicentes, eum nonnunquam durius locutum. Igitur II. Augustinus libro 5. contra Iulianum capitete tertio. [Nouit, *inquit*, Dominus, qui sunt eius, & omnia cooperantur in bonum, sed his, qui secundum propositum vocati sunt. Non enim omnes qui vocati sunt, secundum propositum sunt vocati. Multi enim vocati, pauci vero electi. Qui ergo electi, hsecundum propositum vocati.] Audis non ex cursu rerum, sed electione procedere vocationem secundum propositum. Idem autem est electum esse aliquem ad gratiam congruam & selectam alicui esse gratiam congruam.

III. Lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. circa medium de non electis loquens: [Si vellet, *inquit*, etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, vt mouerentur & intelligerent, & sequerentur. *Et paulo post.* Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat. *Et infra:* Non igitur ideo dictum, est putandum, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia, nisi eius adiutorio non possumus adipisci, quod volumus; sed ideo potius, quia nisi eius vocatione non volumus. Item verum est, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia etiam si multos vocat, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, vt sequantur.] Vbi rursum peculiari misericordie DEI, non cursui rerum, propria electorum vocatio tribuitur.

23 IV. Rursum libro de prædest. sanct. cap. 6. inquit Augustinus: [Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt, Volunt ergo isti, nolunt autem illi: quis hoc ignorat? Sed cum alijs præparetur voluntas, alijs non.]

Kk 3

præpa-

præparetur, discernendum est, quid veniat de misericordia, quid de iudicio. *Eadem repetit Proffer lib. ad excerpta Genuens. dub. 3.* Nunquid, ait, dubium est, cum verbum veritatis prædicatur, alios voluntate credere, alios voluntate non credere? Sed cum illorum cor Deus aperuerit, illorum autem non aperuerit, discernendum est, quid veniat de misericordia, quid de iudicio.]

V. Eodem libro de prædest. sanct. capite decimo sexto, ita ait: [Vocat Deus prædestinatos multos filios suos, vt eos faciat membra prædestinati vnici filij sui, non ea vocatione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias, &c. sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus I. ad Corinth. I. dicens. Ipsi vocatis Iudæis & Græcis prædicare se **СНРИСТУМ**, &c. Sciens (*Apostolus*) esse quandam certam vocationem eorum, qui secundum propositum vocati sunt, quos præsciuit & prædestinavit conformes imaginis filij sui.]

24 VI. Eodem libro de prædest. sanct. capite 18. apertissimè: [Ipse quippe operatur, ait, secundum propositum suum, vt simus in laudem gloriæ eius, vtique sancti & immaculati: propter quod (propositum) nos vocauit, prædestinans ante mundi constitutionem. Ex hoc proposito eius est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum: quia secundum propositum vocati sunt sancti, & sine penitentia sunt dona & vocatio Dei.] Quem locum referens etiam Ariminensis ita expendit in I. dist. 41. artic. 2. [Quos enim prædestinauit, illos vocauit, ipsa scilicet vocatione secundum propositum, non ergo alios: sed quia prædestinauit, ipsos & vocauit; nec alios: sed quos vtique vocauit, ipsos & iustificauit, nec alios: sed quos prædestinauit, vocauit, iustificauit, ipsos & glorificauit, illo vtique fine, qui non habet finem, &c.]

25 VII. Rursus Augustinus libro de bono perseuer. cap. 8. [Hæc, inquit, gratia, quæ occultè hominis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur (*audis intentam cooperationem*) vt cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo pater intus auditur, & docet, vt veniat vt filium, auferat cor lapideum, & dat cor carneum, sicut propheta predicante promissit. Sic quippe facit filios promissionis, & vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Cur ergo non omnes docet, vt veniant ad Christum? nisi quia omnes quos docet, misericordiâ docet; quos autem non docet, iudicio non docet: quoniam cuius vult miseretur, & quem vult obdurat, &c.] Certe hic rursus discriminis causa non rejicitur in rerum cursum, sed in specialem DEI misericordiam, &c.

26 VIII. Eodem libro de bono perseuer. cap. 8. infra, de reprobis loquens ex mente S. Ioannis Augustinus: [Vera sunt hæc, secundum hæc omnia ex nobis erant, veruntamen secundum aliam quandam discretionem non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobis.

cum. Quenam est tandem ista discretio? Patent libri Dei, non auertamus aspectum: Clamat Scriptura diuina, adhibeamus auditum Non erant ex eis, quia non erant secundum propositum vocati, &c. non erant prædestinati secundum propositum eius, qui vniuersa operatur. Nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent, &c.] Discretio ergo hæc inter electos & reprobos ad specialem Dei vocationem, hæc ad prædestinationem, non ad cursum rerum reuocanda est.

27 IX. Ibidem capite duodecimo, ne opportunitas diuinæ gratiæ, aut etiam inopportunitas quasi fortuito casui, siue foli rerum cursui, & non speciali prouidentia Dei adscriberetur, ita loquitur Augustinus, cum de paruulis, quorum aliqui baptismum consequuntur, alij non consequuntur, agit: [Neque etiam fato cogitur Deus illis infantibus subuenire, illis autem non subuenire; cum sit vtrisque causa communis: aut res humanas in paruulis non diuina prouidentia, sed fortuitis agi casibus opinabimur, cum rationales vel damnandæ, vel liberandæ sint animæ; quandoquidem nec passer cadit in terram sine voluntate patris in nostri, qui in cælis est: aut parentum negligentia sic tribuendum est, quod paruuli sine baptismate moriuntur, vt nihil ibi agant superna iudicia: tanquam ipsi, qui hoc modo male moriuntur, parentes sibi negligentes voluntate propria, de quibus nascerentur, elegerint.] *Hactenus Augustinus.*

28 Rationes pro eadem assertionem ferè ex dictis colliguntur. I. Quia secundum oppositam sententiam, non tam DEVS per suam gratiam, & specialem prouidentiam, quam cursus rerum & opportunitas circumstantiarum, ipsaque cooperatio, prædestinatos à non prædestinatis discerneret. II. Cessaret admiratio Apostoli, *O altitudo*: atque ita vt argumentatur etiam Proffer resp. ad excerpta Genuens. dubio septimo. *Scrutabilia essent iudicia Dei, & vestigabiles via eius*; nec occultum esset, quare ille potius, quam iste, saluetur, contra dicta superius questione quarta, dubio primo, assertionem tertia. III. Nulla singularis charitas & misericordia Dei in dispensanda gratia erga prædestinatos cerneretur. IV. Grauiusimum prædestinationis negotium originaliter subijceretur non speciali proposito & electioni miserentis Dei, sed cursui rerum & opportunitati circumstantiarum. V. Si DEVS ante prædestinationem gratiæ quosdam efficaciter dilexit, & ordinauit ad gloriam, tunc necesse est, vt pro eis etiam decreuerit adeoque selegerit gratiam congruam, qua congrua, & quia congrua est: intendens enim efficaciter finem, necessario eligit media efficacia, qua talia sunt: sed verum prius, vt ex Sancto Thoma, & communi Doctorum dictum; & patebit magis dubio quarto, Ergo, &c. VI. Si DEVS non singulari consilio discernit gratias, sed res cursui rerum permittit, frustra petimus à DEO gratiam perseuerandi, quæ non est alia, quam gratia efficax ad finem, vitæ continuata; fru-

stra petimus liberationem à subitanea & improuisa morte, à morte perpetua, ab insidijs diaboli, &c. quia hæc ordinario rerum cursui relinquuntur.

29 Quibus denique accedit hoc argumentum quasi à priori. Si Deus priusquam gratias suas distribueret, & distribuendas destinaret, habuit scientiam conditionatam seu mediam omnium sub conditione futurorum, ac per eam distinctè præuidit infinitos modos & media, quorum alijs omnes & singuli homines peruenturi infallibiliter essent, ad gloriam, si eis obringerent; alijs non peruenturi; ac simul certa scientia & deliberata voluntate, speciali que amore, ex innumeris eiusmodi modis, præordinauit ac prædestinauit pro saluandis eos modos & media gratiarum & auxiliorum, quibus cum, si darentur, eos infallibiliter perseueraturos & gloriam consecuturos præsciuit; alijs verò eos modos & media destinauit, quibus cum infallibiliter præuidit, eos non cooperaturos finaliter, aut gloriam non consecuturos; tū sanè illos quidè hoc ipso speciali amore dilexit, ac ex eo singulari amore, deliberato animo, & secundum speciale propositum suæ voluntatis, pro eis discreuit ac selegit gratias congruas ab incongruis; pro his vero non item: quandoquidem alijs ex æquo pro vtrisque, & quæ congruæ, & quæ incongruæ essent futuræ, præuocerat; nec minus vni, quam alteri, tam has, quam illas prædecernere potuisset; nec aliud est seligere gratias congruas, quam ex innumeris alijs, & relictis alijs, ex peculiari amore, pro saluandis eas præfinire, quas congruas futuras nouerat: nec aliud est singulari modo amare aliquem, quam singulare bonum ei velle; ita quidem vt hoc ipso magis amet Deus eos, quibus maiora bona vult, vt docet S. Thomas 1. p. q. 20. artic. 3. & 4. sed verum est antecedens, vt partim fatentur oppositæ sententiæ auctores; partim colligitur ex dictis de scientia Dei disp. 2. quæst. 8. dub. 5. Ergo & consequens. Thomistæ recentiores aliam adhibent rationem, petitam ex intrinseca vi & efficacia gratiæ congruæ ad effectum infallibiliter producendum: sed quæ ratio nobis non est necessaria, vt alibi dictum.

30 Et confirmatur assertio primò ex duobus antiquis Theologis, qui dum disputant contra Aureolum in 1. d. 41. sentientem, consecutionem baptismi prouenire ex cursu naturali, præsertim in paruulis, vt retulimus ex eodem supra quæstion. præcedent. dub. 4. non solum conuincunt, eam ex diuina prædestinatione prouenire, sed etiam multa simul interferunt, quæ ad hanc assertionem confirmandam valent. Primus est Gregorius Ariminensis in 1. dist. 41. quæst. 1. art. 2. vbi ait: [Ad hoc respondent, qui tenent huius conclusi-
onis oppositum, dicentes, quod puer non habet à prædestinatione, quod baptizatur; sed hoc potius est secundum cursum naturæ. Nam si puer, ex complexione mori debeat statim natus, non peruenit ad baptismum: non erit autem hoc ex aliqua reprobatione; sed quia non vult Deus propter ipsum facere nouum miraculum; imò ipsum elinquit cursui naturæ. Similiter si natus fuerit

ex parentibus infidelibus, non baptizabitur: si verò ex fidelibus, baptizabitur: hoc autem non habet alteri imputari, nisi cursui naturali, secundum quem iste nascitur ex istis, ille ex illis; nec propter hoc, vt iste baptizetur, debuit Deus ordinare, vt ex alijs parentibus nasceretur.

Ad quæ Gregorius: [Ista, inquit, solutio non continet veritatem. Primò quidem quia contradicit manifestè authoritati Apostoli iam inductæ, dicentis, quod secundum suam misericordiam saluos nos fecit per baptismum: & per consequens, ex eius misericordia est, quod sumus baptizati: non ergo hoc prouenit ex opere tantum & cursu naturæ. Et mirum est; de isto Doctore, qui præfatam contra se inducit authoritatem, nec vllum verbum respondet ad ipsam: imò certè mirandum non est, quia nihil ad ipsam secundum veritatem dicere potest.]

Et infra: [Quicquid sit, inquit, de hoc, vtrum scilicet ex solo cursu naturali, & non ex speciali prouidentia Dei, aliquis prædestinatus nascatur de parentibus fidelibus: at quod eius parentes velint, aut faciant ipsum baptizari, non ex cursu naturali, aut libero arbitrio solum hoc prouenit, sed ex speciali gratia Dei, quæ in eis operatur illud bonum velle & perficere, pro sua, scilicet Dei, bona voluntate, vt dicit Apostolus.]

Et infra argument. 6. ait: [Præterea sequitur, secundum hanc responsionem, quod ex solo cursu naturali, stante communi ordinatione diuina, quis sit determinatè prædestinatus & ordinatus ad vitam æternam, illamque consequatur; quod vti que non dubium est aduersari Catholice fidei. Tunc enim non secundum electionem esset DEI propositum, scilicet prædestinatio saluandorum: nec secundum electionem gratiæ, reliquæ salutæ fierent; nec electi essent vasa misericordiæ, quæ Deus præparauit in gloriam: & innumerabilia dicta Scripturæ essent falsa. Sed consequentia patet: quia secundum responsionem, ex solo cursu naturali prouenit, quod aliquis baptizetur; & sicut ex complexione naturali dicunt prouenire, quod aliquis moriatur statim natus, sic etiam oportet dicere, quod ex complexione naturali proueniat, quod aliquis modicum viuat post baptismum: hoc autem posito, sequitur, quod fuit prædestinatus, & consequatur vitam æternam, intercedentibus tantum his, quæ secundum naturalem cursum proueniunt, & diuina ordinatione communi, scilicet quod quilibet baptizatus munderetur à culpa, & suscipiat gratiam, in qua si decedat, habebit vitam æternam.] Ita Ariminensis.

Qui mox subiungit: [Non videtur bene dictum, quod Deus sic electorum suorum curam negligat, vt quos ordinauit ad gloriam, quam eis non sine baptismo dare proposuit, relinquat naturali cursui, vt baptizentur, non potius ipse suæ misericordiæ prouidentia id eis tribuat, per quod suum propositum impleatur. Quomodo enim dicit Apostolus, Omnia procedunt in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt Sancti, &c.] Hactenus Ariminensis.

In eundem sensum Marfilus Ariminensem secutus, in 1. d. quæst. 41. articulo 2. cum sibi obieciſſet in hunc modum: [Forte dicitur, sicut dicit contraria opinio, quod paruulus non habet à prædeterminatione, quod baptizetur, sed potius quasi ex fortitudine nature. Si enim debilis in utero morietur, vel statim natus non perueniet ad baptismum, non attingit deletionem culpæ originalis; & hoc est, quia Deus puerum relinquit cursui naturali, nolendo facere nouum miraculum:] mox ipse ibidem his verbis respondet: [Sed reuera nimis est hæc grossa responsio apud fideles: quia istud est ponere, quod salus huius pueri in ordine ad Deum procuratur sine Domini directione, & quasi respectu DEI in ordine casuali: respectu cuius tamen nec pullus moritur à casu, si placeret philosophiam naturalem & primam bene videre. Vnde enim venit ei naturalis fortitudo nisi à DEO? vnde venit pueri conseruatio, si non à Deo, vsque ad baptismum, & vtique liberè? vnde venit baptizantibus voluntas baptizandi si non à Deo? vnde prohibentur impedimenta, quæ diabolus videns puerum statim moriturum, interponeret, si non à Deo? Dicere enim quod omnium horum ordo casu combinatur, & non Deo dirigente hæc ad pueri salutem, non habet rationem: & est manifestè contra autoritatem Apostoli iam inductam, & contra B. Augustinum in lib. de prædest. Sanct. circa medium, dicentem, quod gratia Dei maximè apparet in paruulis, quorum cum alij baptizati, alij non baptizati vitæ huius terminum sumunt, satis indicant misericordiam & iudicium: misericordiam quidem gratuitam, iudicium debitum, &c.] Ita Marfilus.

34 Confirmatur assertio secundò ex ijs, quæ nonnulli, quibus cum disputamus, quasi aliud agendo, ad commendandam scilicet peculiarem diuinæ prouidentie curam (erga electos, & specialia beneficia Dei deprædicanda scripserunt; vt cum aiunt: *Valde credibile esse, nos tam paruus præsidij (legis nature aut Mosaicæ) fulcos, & tot machinis impulsos, lapsuros, & communis consuetudinis æstu abreptos, in exitum præcipitandos. Præciſſe autem hoc DEVM, & præuenisse nos ab æterno misericordie sue benigno proposito, ex infinita hominum multitudine nos seligendo (non vtique cursui rerum relinquendo) ac nostros natales vitæque cursum in tempore gratie reseruando, &c.*

Item particulare beneficium Dei esse, [quod nati à parentibus Christianis, & Christianè educati sumus. &c. Neque putandum ex nature cursu potius, quàm ex diuinæ prouidentie decreto & designatione prouenire, quod hic ex illo, iste ex alio parente nascatur, tali dispositione corporis talem animam, non aliam, postulante. Nullà enim dispositione in embryo, nullam qualitatè syndromè in corpusculo animando esse, cui non sint aptæ infinite animæ, ex ijs, quæ in thesauris diuinæ sapientie & potentie sunt reconditæ.]

35 [Imò valde verisimile esse, quamuis dispositionem corporis humani completam, in utero, cuius animæ rationali aptam esse, & positam tali dispositione quamuis infundi posse. Cum

ergo omnes animæ creentur à solo DEO, nulla creatura cooperante, formato in utero materno corpusculo, posse Deum quamuis animam creare, & illi infundere; neque ad hanc vel illam animam creandam potius, quam ad aliam, à dispositione corporis, sed à suo beneplacito determinari. Beneficium ergo ingens in eo recognoscendum, & misericordie diuinæ imputandum, quod non ab infidelibus, sicut alij innumerabiles, sed à fidelibus, & inter fideles nati sumus; vbi & baptismum, & Christianam institutionem consecuti, & viam salutis ab infantia edocti sumus, &c. Neque solum quod ab infidelitate, sed etiã quod ab alijs innumeris peccatis præseruati, in quæ, nisi diuina misericordia singulari cura & prouidentia nos præuenisset, & custodisset, eramus prolapsuri.] Hæc isti: quæ sane existimare neminem sinunt, Deum suas gratias non peculiari delectu discernere pro electis, sed iuxta cursum rerum & exigentiam occasionum omnibus distribuere. De phycis interim placitis hic relatis non disputo.

36 Obijcitur primò, Deum in gratijs suis Angelicæ nature conferendis, non considerasse, quænam essent habituræ effectum, quæ non; sed eas distribuisse accommodatè naturalibus, iuxta sanctum Thomam 1. part. quæst. 62. articulo 6. Ergo nec in hominibus eam regulam ordinariè sequitur. Respondeo negando priorem partem antecedentis; est enim eadem ratio quoad hoc Angelorum & hominum, vt ex dictis liquet. Neque gratiam præuenientem, secundum rationem congruitatis, distribuit accommodatè naturalibus; alioqui soli Angeli infimi ordinis cecidissent; sed gratiam sanctificantem, spectatam secundum intentione, iuxta S. Thomam loc. cit.

Obijcitur secundò. Si in Deo non esset præscientia conditionalis, nemo dubitaret, quin gratie præstantia ex intrinseca intentione, & præstantia esset dimetienda; non ex euentu futuro; sed hæc præscientia non minuit affectum. DEI erga eos, quibus intensior gratia, non tamen congrua confertur, nec reddit illum minus sincerum & serium. Ergo idcirco non est censendum beneficium minus, quicquid sit de euentu futuro.

37 Respondeo 1. hoc argumentum, si quicquam probet, eò spectare etiã, vt probet, non semper in ratione beneficij maiorem gratiam accipere, prædestinatos, quam reprobos; quod non est satis tantum asserere, vt supra ex Vasquio comuni dictum.

Respondeo 2. Si Deus non haberet scientiam illam conditionatam, tunc nec potuisset quidem infallibiliter & liberè homines perducere ad beatitudinem, vt suo loco dictum; quare etiã ex euentu & congruitate, seu opportunitate futura, non posset æstimari magnitudo beneficij in electos collati: at vero iam quia DEVS supposità illà scientiã, prudens & sciens confert gratiam congruam saluandis, alijs negat, planè efficitur, absolutè loquendo, maius in illos beneficium, quam in istos conferri; quando beneficij magnitudo non parum vniuersim ex opportunitate præuisa dependet, vt quotidie videmus. Neque

tamen.

tamen ideo scientia illa media minuit affectum Dei erga reprobos quasi intrinsecè & absolute sed solum comparatiuè; quatenus eà supposita sit, vt absolute longè maior Dei amor & affectus erga saluandos eluceat, quam erga alios. Cætera argumenta, quia simul etiam electionem gratuitam ad gloriam impugnant, dissoluentur dub. 5.

38 **Assertio III.** Tametsi Deus, vt dictum, gratias congruas secernat & seligat pro electis; non tamen ideo incongruas seligit pro reprobis; neque formaliter præfinit, siue intendit pro ijs gratiam incongruam, qua talis est; volendo, vt illa gratia, quam dat, non sit congrua. Ita optimè Suarez hic lib. 3. cap. 4. num. 8. Ratio est. Tum quia incongruitas illa vel ad culpam hominis pertinet, malum scilicet vsus gratiæ, & resistentiam liberi arbitrij; vel certe (in parulis) ad impedimentum salutis; quorum neutrum Deus directe vult & intendit; cum potius ex se velit omnes saluos fieri. Tum quia cum ex aliquo cumulo rerum, pro aliquibus seliguntur meliores, non ideo pro alijs, quibus relinquuntur cætera, seligi dicuntur minus bonæ, sed relinqui, &c. Vult ergo quidè Deus, & præfinit pro ijs, qui non saluantur, gratias incongruas materialiter; sed hoc directe & formaliter non vult, nec intendit, vt sint incongruæ; quare etiã eas non seligit pro illis, sed simpliciter tribuit, & quasi relinquit, vt rursus dicitur dub. 5. Nec obstat, quod Deus aliquos obdurare dicitur: non enim ideo vult, vt gratia sit incongrua, sed solum vult dare gratiam, quam nouit esse incongruam, simulque negare congruam, vt dicitur q. 7. dub. 2. & 3.

39 **Assertio IV.** Gratia congrua seu efficax prædestinatorum propria, talis propriè non est, nec dicitur, ab ipso euentu, hoc est, cooperatione, seu perseuerantia finali existente, seu absolute futura; sed à vi producendi & causandi cooperationem infallibili, quam habet, vt subest scientiæ Dei mediæ seu conditionatæ; ac proinde ex hac parte nihil obstat quo minus ea etiam qua talis, prædestinari possit ante præuisionem seu futuritionem absolutam cooperationis nostræ. Hanc assertionem ex instituto docui in materia de gratia, cum Bellarmino lib. 1. de Iustificat. cap. 12. Suario lib. 3. de auxil. grat. cap. 6. & in resolut. de grat. effic. Mascarena de gratiæ auxilijs, & Thomistis omnibus; contra Valquium; aliosque recentiores. Et quamuis fortè ad modum potius loquendi, quam rem ipsam pertinet, multum tamen facit ad rerum ipsarum intelligentiam.

40 **Probat**ur breuiter. Si enim gratia, quæ efficax dicitur, ante omnem præuisionem seu futuritionem absolutam cooperationis seu perseuerantiæ nostræ, vim infallibilem habet ad inducendum effectum, seu cooperationem nostram, & perseuerantiam, tunc sanè fatendum est, eam prius ratione propriè & formaliter efficacem esse, quam cooperatio seu perseuerantia nostra absolute præuisa aut futura sit; ac proinde ex hac parte etiam qua talis est, ante eam futuritionem seu præuisionem à Deo pro electis prædefiniri potuisse: Sed verum est antecedens: Ergo & consequens.

Maior patet. Quia gratia efficax proprijsimè

est ac dici potest illa, quæ vim infallibilem habet ad inducendum effectum; siue nimirum cooperationem absolute, si de gratia efficaci generatim sermo sit; siue ipsam etiam perseuerantiam finalem; quando de gratia congrua & efficaci, prædestinatorum propria, loquimur. Minor probatur. Quia Deus ante omnem futuritionem, aut præscientiam absolutam cooperationis, iam antea per scientiam mediam seu conditionatam præsciuerat, hominem, si ea gratia præuideretur, infallibiliter cooperaturum & perseueraturum: Ergo hoc ipso, quod gratia illa à Deo decernitur, etiam ante omnem absolutam præscientiam aut futuritionem cooperationis seu perseuerantiæ, quæ ad gratiam illam primam veluti effectus consequitur, necesse est, vt quatenus subest eidem scientiæ Dei mediæ, habeat vim quandam infallibilem inducendi cooperationem & perseuerantiam; quandoquidem gratia ipsa in facto esse producta, non potest non esse talis, qualem Deus antea futuram esse præuiderat, si decerneretur vel produceretur. Ergo hoc ipso, etiam ante omnem absolutam præscientiam aut futuritionem cooperationis seu perseuerantiæ, est efficax; ac proinde, ex hac parte nihil obstat, quo minus etiam qua talis est, à Deo pro saluandis ante eam cooperationem prædefinatur.

41 **Accedit**, quod minus consonum videtur S. Augustino, & gratiæ prædestinationi Dei quæstio. præcedent. explicata, dicere, à nostra cooperatione absolute futura pendere, vt vocatio prima, quæ connexionem habet cum perseuerantia finali, non quidem nobis prædestinetur vel conferatur; sed sit efficax, & pertineat ad prædestinationem, nõ ad communem prouidentiam; seu quod idem est, vt sit effectus ipsius prædestinationis, nõ diuinæ prouidentia, vt consequenter admittunt, & admittere debent, oppositæ sententiæ auctores, vt dictum: cum hoc ipso ratio quædam diuinæ prædestinationis, quoad ipsum etiam primum effectum gratiæ, qua formaliter & vltimatè prædestinationis effectus est, ex nostra cooperatione futura assignari videatur.

42 **Dices.** Idem etiam iuxta nostram sententiam, dicendum: cum ipsa etiam nostra cooperatio sub conditione præuisa, sit ratio, cur Deus scientia, conditionata eam efficacem, seu potius efficientem, futuram esse præuiderit. Respondeo, aliud esse cooperationem absolute futuram, aliud sub conditione futuram: illam nego esse rationem, cur gratia Dei, quam prædestinauit electis, re ipsa & absolute sit aut dicatur efficax, cum ratione, prius sit talis, quam cooperatio nostra absolute sit futura, vt probauimus: hanc verò libenter concedo esse rationem, cur Deus eam sub conditione præsciuerit fore efficacem, seu potius re ipsa efficientem; neque hac ratione gratiæ diuinæ prædestinationis quicquam adimitur; quandoquidè hæc ipsa conditionata futuritio efficientiæ seu cooperationis, supponit veluti conditionem ipsum gratuitum decretum eiusdem gratiæ conditionatum; siquidem non aliter sub conditione productura cooperationem præscita ponitur, quam sub conditione, si à Deo decerneretur, seu diuino de-

creto daretur, quo proinde vltimatè nititur conditionata illa futuritio.

43

Dixi vero in assertionè, nihil obflare, quò minus gratia efficax, qua efficax est, ex hoc capite prædestinari possit ante cooperationem nostram: nam vtrum ordine intentionis absolutè definiatur ante cooperationem nostram, ad quam veluti finem ordinatur, dicitur dub. 6. Quod si quis non neget, gratiam efficacem, seu congruam, ante futuritionem & præuisionem absolutam cooperationis nostræ, habere vim infallibilem, siue ex se & natura sua, siue vt subest scientiæ Dei mediæ, præducendi effectû, solum verò neget, eam hinc propriè efficacem dici, quasi efficax gratia idem sit quod efficiens, is quidem solû de nomine contendet; sed in hac ipsa tamen re à proprietate vocum recedet. Quia reuera secundum vim nominis, & communem vsum loquendi, non est idem efficax quod efficiens, sed illud vim agendi in actu primo, hoc actuale efficiens in actu secundo significat. Dicimus enim propriissimè, hoc medicamentum, seu hoc vinum aut acetum esse efficacem, etiam si ad vsum necdum sit applicatum. Ita ergo etiam gratia efficax dicenda est propriè & formaliter, non ab actuali efficiens, sed ab illa vi infallibili, quam habet vt subest scientiæ Dei mediæ. De qua re pluribus in materia de gratia agendum erit.

DVBIUM II.

Sitne in mente diuina secundum rationem nostram ordo aliquis prioritatis, inter prædestinationem, vel præuisionem meritorum, seu mediorem in particulari; & prædestinationem ipsius gloriæ, aliosue actus, quibus Deus saluandis vult gloriari.

S. Thomas I. p. q. 23. a. 5. & 7.

TRia quidem sunt, quæ inter se, hac & sequenti dubitatione, præcipuè comparantur; nimirum. 1. Electio seu prædestinatio ad gloriari. 2. Prædestinatio meritorum. 3. præscientia meritorum, quæ prædestinationem meritorum consequitur: Sed horum actuum occasione, simul etiam de quibusdam alijs actibus diuinæ voluntatis, quibus Deus saluandis vult gloriari, agendum est. Neque verò inter hos actus certus ordo rationis prius constitui potest, quam constet, an sit inter eos aliquis ordo rationis. Dum autem de meritis fermo est, quæ in adulto prædestinato ad gloriari comparantur, tanquam media ad finem, subintelliguntur simul hic etiam alia media: cum sit re ipsa ad præsens institutum par ratio omnium mediorem, respectu cuiuscunque demum prædestinati, si comparantur ad gloriari eiusdem; adeo vt quæstio procedat tam de paruulis, quam adul-

tis, an videlicet in Deo, secundum rationem nostram, sit aliquis ordo prioritatis inter electionem ad gloriari, & prædestinationem vel præscientiam mediorem, puta baptisimi, gratiæ, vel meritorum &c. quibus vnusquisque prædestinatus re ipsa saluatur.

Et est sententia quorundam Theologorum, qui docent, nullum esse ordinem inter prædestinationem, vel etiam præscientiam meritorum, seu mediorem, & electionem ad gloriari; sed Deum vnico simplicissimo decreto, absque vllo instantium aut signorum, etiam secundum rationem nostram, ordine, seu absque omni prioritate rationis, consummare prædestinationem; quo nempe alicui velit & destinet seriem aliquam mediorem, quibus per scientiam conditionatam cognouerit, eum perueniturum ad gloriari. Ita absq; auctoritate nomine refert Suarez hic lib. 1. de prædest. cap. 8. n. 3. expresse vero ita docuit Gabriel in 3. dist. 2. q. vn. a. 3. dub. 3. vbi contra Scotum ait, quod illa prioritas & signa non sunt ponenda in diuinis, sicut scilicet deducit Ockam in 2. dist. 9. q. 3. Prædestinatio in nullo signo prædestinatio quemcumq; ad beatitudinem, quin in eodem prædestinatio omnes beatificandos, & præsciuit omnes damnandos, & præiudicat omnia futura (in quibus vtique sunt etiam adulti merita) Nec est talis ordo in diuinis, sed ab æterno prædestinatio quos elegit; præsciuit etiam quos reprobaui, simulq; præiudicat merita & demerita, & futura præmia. Ita Gabriel. Idem docuit Ockam, ab eodem citatus.

Et refert pro eadem sententia Eckius in Chrysostomus cent. 2. n. 11. cæteros Nominales, quos vocat Recentiores & Neotericos; cum pro opposita sententia retulisset Scotum, his verbis: *Ita dicendi modo (Scoti) Neoterici repudium dant, vt valens ille Gregorius Ariminensis, Petrus de Candia, Cardinalis Cameracensis, Guilelmus de Ockam, Dominus P. episcopus, Ioannes Maioris, amantissimi ingenij Doctor. Verum rationes eorum non sunt nervosæ, & facile excutuntur. Non enim quisquam imaginari debet, Doctorem subtilem tam pauperem fuisse ingenij (non dico tam hebetem) vt existimaret talem ordinem fuisse in intelligentia diuina cuiusdam successione; ita quod non omnia simul ab æterno intellexerit; quis hoc vult, bone Deus, non dico asserere, sed ne credere quidem? voluit tamen Doctor subtilis, non obstante eo, quod DEVS omnia simul intelligat, adhuc ex natura rei (seu potius secundum rationem) esse talem ordinem intelligibilem & intelligendi, qui simultatem temporis non excludit. Et hoc bonum Metaphysicus facile intelligit, quando rerum sensibilium phantasmatis abstractis, ipsas purissimas quidditatum rationes intrinet, &c. Et quod iuniores (qui ita obstrepunt) idem senserunt in re, & sentire cogantur, ex his facile accipi potest. Ita Eckius; qui mox pluribus probat, nec ipsos quidem istos Nominales re ipsa ordinem quemdam rationis inter eiusmodi actus diuinæ mentis negasse.*

Eandem sententiam, quam ex Suariorum retulimus, expresse sequitur Molina hic q. 23. a. 5. disp. 1. memb. 7. vbi ait: *Denique cum Deus vnico simplicissimo actu sua voluntatis, præuisionem plenissimam deliberatione, seu cognitione, circa res omnes, voluerit ex æternitate quicquid voluit, sane exterminanda omnino videntur instantia Scoti, & aliorum, in quibus in statuenda incarnatione, prædestinando Christo, cum cæteris beatis, aut re-*

probat.

probandas cæteris hominibus, DEVS unum voluerit ante aliud, aut per scientiam liberam prævidere unum ante aliud: quæ certè instantia adeo obscuram reddunt quæstionem hæc, ut vix, ac ne vix quidem intelligi queat. &c. Et infra ibidem ait: Ad fundamentum illud, cui Scotus & alij in eiusmodi instantium designatione inmittuntur, dicendum est, si velint, eum qui ordinatè, hoc est, ordine quodam unum post aliud, vult finem & media, prius debere velle finem, quam media, verum quidem esse: Deum tamen non ita se habere, præsertim in re, de qua disputamus, sed simul velle finem ac media. Si verò velle ordinatè idem sit, ac non præpostere, siue indecenter, respondendum est, nihil indecens & præposterum in eo cerni, quod Deus, qui unico actu intellectus omnia comprehendit, unicoque actu voluntatis vult media omnia & fines, velit simul medium & finem, atque adeo per scientiam liberam non præcognoscat unum eorum ante aliud.

Et ibidem membr. 8. declarat, se non vniuersim quidem omnem prioritatem rationis inter actus diuinæ voluntatis rejicere, sed in tribus solum casibus seu euentibus. Primus, quando ordines aliqui inter se ita sunt complicati, ut quænam in vno determinatè sint futura, mutuo pendeant ex ijs, quæ in alio, aut alijs futura sunt. Secundus, quando fines aliqui voliti sunt; vnus dependenter ab alio, aut non sine alio Tertius, atque ad præsens institutum pertinens est, quando finis neque volitus, neque proinde cognitus est absolute futurus, nisi dependenter à medijs. Quomodo cum Deus non velit adultis beatitudinem, nisi tanquam præmium, non vult etiam eis beatitudinis consecutionem, nisi per media. &c. Idem repetit Molina infra ead. disputat. 1. memb. 13.

Præter hos est peculiaris quædam sententia Gregorij de Valentia, hic quæstion. 23. punct. 4. §. 4. vers. secundo obseruandum. Vbi licet admittat, esse aliquem ordinem prioritatis inter prædestinationem meritorum & gloriæ, si vtræque hæc secundum se spectentur, nec verò etiam in prædestinato vlla detur causa meritoria, vel ratio, seu conditio totius prædestinationis, aut omnium effectuum ipsius, ait tamen, nec adulti prædestinationem quoad vllum effectum, etiam loquendo de prima gratia congrua, fuisse omni ratione priorem, ipsâ præscientiâ absolute cooperationis perseverantis; sed potius hanc fuisse quadam ratione simul, cum decreto cuiuslibet effectus prædestinationis, qua talis: hoc est, inquit, ut habet certam habitudinem ad salutem æternam. Fundamentum est; quia quisque effectus prædestinationis qua talis, habet infallibilem respectum ad salutem æternam ipsius prædestinati, ut colligitur ex definitione prædestinationis, ex Augustino adferri solita: atqui verò in adultis non habet sine respectu ad cooperationem & perseverantiam perdestinati, velut absolute futuram. Ergo &c.

His tamen non obstantibus, opposita sententia, esse nimirum secundum rationem nostram aliquem prioritatis ordinem inter electionem ad gloriæ, & prædestinationem meritorum seu mediõrum, multoque magis præscien-

tiam eorundem, communis & vera est Doctorum sententia, ut inferius demonstrabimus.

Pro cuius explicatione, præter ea, quæ de duplici ordine intentionis & executionis, atque etiam generatim de ordine prioritatis, inter actus diuinæ voluntatis, docuimus supra disput. 2. quæst. 10. dub. 5. Notandum est, varios actus diuinæ voluntatis efficacis, de qua sola in præsentia loquimur, distingui posse, quos Deus circa electorum beatitudinem, veluti ipsorum finem, & media ad eundem conducentia habet, aut habere potuit.

Primò enim, ut in humanis actibus, intentio directè versatur circa finem, non nisi obliquè verò & indirectè circa media; quod est velle finem per media; è contrario verò electio directè fertur in media, obliquè autem & indirectè fertur in finem, quod est velle media certa & determinata propter finem; iuxta Sanctum Thomam in 1. 2. quæst. 12. articulo 4. ad 3. cuius verba inferius referemus: ita etiam DEVS efficaciter vult electis conferre gloriam, per merita seu media; qui actus quasi instar intentionis se habet; & simul media seu merita propter gloriam; qui electionis actui assimilatur.

Neque dubium est, vtrumque eiusmodi actum verè ac propriè DEO conuenire; cum neuter vllam inuoluat imperfectionem; & reipsa à Deo electis gloria conferatur & obtingat per merita, seu media, & media propter finem. Sicut enim medicus ægro vult sanitatem per media, per modum quasi intentionis; & rursum alio actu voluntatis certa quædam media eidem vult & eligit propter sanitatem eidem reipsa procurandam, per modum electionis, ita etiam ijdem actus in DEO hominem ad beatitudinem perducende, necessario admittendi sunt.

Deinde verò loquendo vniuersim de voluntate diuina, quæ directè versatur circa gloriam, obliquè verò solum & indirectè circa merita seu media, varij adhuc diuinæ voluntatis actus distingui possunt; quorum alij propriè ad ordinem intentionis, alij ad ordinem executionis spectant, ut inferius declarabitur. Primus est generatim & quasi abstracte ita aliquibus beatitudinem velle, ut nihil adhuc eo quidem actu secundum rationem nostram de medijs definitur; nec adeo etiam omnino eo rationis instanti decernatur, an proprijs meritis, an solis CHRISTI meritis, per applicationem baptismi, &c. sint saluandi. Secundus est actus voluntatis, quo DEVS homini vult gloriam definitè etiam per propria merita. Tertius est actus voluntatis, quo Deus vult homini gloriam propter præuisa merita, seu, quod idem est, ex præuisis meritis, aut post præuisa merita: vbi sermo est de præuisione seu præscientia meritorum non conditionata seu media, sed de præscientiâ absolute qua spectat etiam actus ille, quo DEVS vult homini conferre gloriam non solum post præuisa merita, sed etiam post exhibita iam merita: qui actus in DEO non-

nisi denominatione extrinseca à priori differre videtur.

9 Et quamvis de primo illo actu quasi abstracto dubium esse possit, an in Deo constituendus sit, vt inferius dicitur, eò quod quantam imperfectionem nonnullis videatur inuoluere; nullum tamen est dubium, nec esse potest, quin tres posteriores actus propriè ac formaliter in Deo sint constituendi, & quidem inter se ratione nostra planè distincti, atque etiam subordinati &c. Secundum enim actum ab æternitate habet Deus, etiam antecedenter ad futuritionem, aut præscientiam absolutam meritorum; quandoquidem est ratio & causa futuritionis meritorum: neque merita salutis vnquam futura essent, nisi Deus per merita etiam in particulari præordinasset hominem saluare: nihil enim facit Deus in tempore, quod ab æterno non prædefiniert; cum igitur Deus in tempore hominem per merita saluet, vtique etiam voluit & decreuit ab æterno hominem per merita saluare.

10 Tertius actus Deo etiam denegari minime potest; cum certissimum sit, Deum ob præuisa, seu post præuisa merita homini adulto conferre gloriam: Ergo etiam ab æterno voluit homini adulto post præuisa merita conferre gloriam. Differt autem ratione nostra hic actus à præcedenti; quia hæc voluntas ratione nostra supponit præuisionem, adeoque etiam futuritionem absolutam meritorum, eò ipso quod Deus post merita præuisa, adeoque post præuisionem meritorum homini vult gloriam; etsi per se non supponat actualem existentiam seu quasi præteritionem actualem meritorum; sed solum in quantum ille actus postea nouam sortitur denominationem à præteritione meritorum; seu quatenus hæc suppositione facta, est actus conferendi gloriam ob merita re ipsa exhibita. Qui actus itidem Deo certissimè ac indubitatè conuenit, cum ex fide constat, Deum in extremo iudicio singulis, ob vitam bene aut malè actam, sua præmia, vel supplicia sua voluntate designaturum: Ergo rursus cum omnia, quæ Deus in tempore facit, ab æterno velit facere, necesse est, Deum ab æterno habuisse voluntatem, qua voluerit homini conferre gloriam ob exhibita, seu quod idem est, post exhibita iam merita; non ita quidem, vt voluntas illa conferendi gloriam, primum post exhibita iam merita à Deo conciperetur, sed vt in Deo esset voluntas æterna gloriam conferendi, post exhibita merita. His positis, sententiam veram & communem Theologorum de hac re sequentibus assertionibus exponimus; comparando voluntatem efficacem conferendi gloriam primum cum prædestinatione seu voluntate meritorum siue mediourum in particulari; deinde cum præscientia eorundem, cum hæc duo inter se sint diuersissima, vt patebit.

11 Assertio I. Voluntas illa, qua Deus electis vult gloriam per merita, & merita seu media specialiter designata, ppter gloriã, licet re ipsa sit vna simplicissima voluntas, secundum rationem tamen nostrã sunt actus distincti, habentes inter se quendam ordinem prioritatis vel posterioritatis: quod

proinde pariter etiam de electione seu prædestinatione ad gloriam, & prædestinatione meritorum seu mediourum dicendum. Hæc est verus & communis sententia Sancti Thomæ & Scholasticorum (exceptis Nominalibus; Neotericis ab Eckio appellatis, vt superius dictum) qui communiter omnes docuerunt, hominem prædestinari siue eligi ad gloriam, aut post præuisa merita, aut ante præuisa merita; seu quod idem est, ex præuisis meritis, vel non ex præuisis meritis: quos sequenti dubio longa serie referemus, & videre est etiam apud Vasquez disput. 89. cap. 1. & 2. & Suarez lib. 1. de prædest. cap. 8. Bellarminum lib. 2. de grat. & lib. arbit. c. 15. & ex parte etiam, apud Gregorium de Valentia hic q. 23. pun. 4. §. 1. & ipsummet Molinam cit. q. 23. a. 5. disp. 1. memb. 7. Nec dissimulat etiam ipse ibidem memb. 8. 13. quantas eius sententia, cum hac in re noua videretur, passa fuerit difficultates, & contradicentium obiectiones. Speciatim autem huic pertinent S. Thomæ hic quæstio. 23. artic. 3. & omnes illi, qui docent, ordinem quendam, secundum rationem nostram esse inter Dilectionem, Electionem, & Prædestinationem, quos retulimus supra quæst. 2. dub. 3. Eadem est Sancti Augustini & Patrum sententia, vt dicemus eodem dub. sequent. Nec verò ex antiquis Scholasticis vllum pro se citat Molina, nec vllum etiam pro ea sententia ante Neotericos illos verè citari poterit; vt planè falsò veteribus Patribus & Theologis ea sententia à nonnullis tribuatur. Vide speciatim Heruæum, Scotum, Durandum, sequenti dubio referendos.

12 Probatur assertio primo. Si enim actus ille diuinæ voluntatis, quo Deus hominibus efficaciter vult gloriam per media, & media propter gloriam, quamvis re ipsa vnus ac simplicissimus, intrinsecè tamen æquiualeat pluribus actibus creatis, inter se, iuxta consuetum operandi modum, realiter distinctis, verumque & realem ordinem causalitatis & prioritatis habentibus, tunc necesse est etiam, secundum rationem nostram, & pluralitatem quendam, & ordinem prioritatis cerni in prædictis actibus diuinæ voluntatis & prædestinationis, prout efficaciter modo supra dicto terminatur ad eiusmodi obiecta; puta ad gloriam & certa media hominum saluandorum: sed verum est antecedens.

13 Maior patet. Quia pluralitas & ordo in diuinis actibus aliter non potest constitui, nisi per comparisonem ad actus nostros, vt generatim dictum disputatio. 2. quæstio. 10. dubio 5. Nisi ergo omnem ordinem rationis, & pluralitatem actuum diuinorum, etiam si actus voluntatis non inter se, sed cum actibus etiam intellectus comparemus, è medio tollere velimus; quod tamen Molina loco citat. à se planè alienum proficitur; non possumus id fundamentum negare.

Mior, de qua solum controuersia est, probatur. Quia actus ille diuinæ voluntatis, quo electis vult gloriam per merita, & quo vult certa media, seu merita propter gloriam, æqui-

ualet

ualet apud nos intentioni finis, & electioni medi-
 orum, vt omnes fatentur; quandoquidem
 gloria est finis, non quidem ipſus DEI, ſed
 electorum, ab ipſo etiam DEO per priorem
 illum actum efficaciter volitus & intentus; me-
 rita autem aliaque quæ DEVS adhibet & præ-
 ordinat, ad gloriam electis efficaciter procu-
 randam, habent ſe veluti media ad comparan-
 dam gloriam, quæ proinde etiam DEVS elec-
 tis vult & præordinat propter gloriam: atqui
 vero intentio finis & electio mediourum, ſal-
 tem moraliter, & iuxta conſuetum modum o-
 perandi humanum, apud nos ſunt duo actus
 inter ſe realiter diſtincti, verumque & realem
 ordinem cauſalitatis & prioritatis habentes: Er-
 go actus ille diuinæ voluntatis, licet reipſa vn-
 us & ſimpliciſſimus, quo electis vult gloriam
 per merita, quoque rurſum eiſdem vult certa
 media ſeu merita propter gloriam, neceſſariò
 æquualet pluribus actibus creatis inter ſe, ne-
 ceſſariò diſtinctis, verumque & realem ordi-
 nem cauſalitatis & prioritatis habentibus. Ma-
 ior huius ſyllogiſmi eſt extra controuerſiam; &
 ſatis patet ex ipſis terminis.

14 Minor probatur, non ſolum quia Intentio
 & Electio differunt ex parte obiecti Quod, di-
 rectè & expreſſè voliti: illius enim obiectum
 Quod, expreſſè & directè volitum eſt finis, ſeu
 bonum propter ſe expetibile; huius autem ob-
 iectum Quod, directè & expreſſè volitum, ſunt
 media, quæ non niſi propter finem expetun-
 tur: ſed etiam quia Intentio, eſto appetat fi-
 nem per media, abſtrahit tamen à medijs in-
 particulari; & ſua natura communiter etiam
 tempore antecedit certorum mediourum deſig-
 nationem & electionem; vt mox ex Sancto
 Thoma, & communi Doctorum vberius decla-
 rabitur: Sunt ergo duo iſti actus, ſaltem mo-
 raliter loquendo, inter ſe realiter diſtincti; &
 quia Electio cauſatur ab Intentione, eamque
 ſupponit, neceſſè eſt, inter eos ordinem eſſe
 prioris & posterioris: vt aperte etiam ſentiunt, &
 ex communi docent Heruæus, Scotus, Durandus,
 Maior; referendi dub. 3.

15 Eademque eſt non ſolum expreſſa ſententia
 Ariminenſis in 1. diſtinct. 1. quaſtion. prima,
 articulo ſecundo, & Marſilij in 1. quaſtione 4.
 articulo primo, dub. 2. quos ex inſtituto tuetur
 Vaſquez 1. 2. diſputat. 33. capit. 2. qui vniuer-
 ſim docent, Intentionem & Electionem eſſe ac-
 tus inter ſe realiter diſtinctos; ſed eſt etiam
 planè doctrina Sancti Thomæ in 1. 2. quaſtion.
 8. articulo tertio, & quaſtion. 12. articulo 4. &
 quaſt. 13. articulo tertio; nec diſſentiunt Tho-
 miſtæ & Theologi cæteri, vt explicauit Vaſquez
 citat. capit. 2. & 3. ſaltem loquendo de commu-
 ni & conſueto modo operandi humano, vt be-
 ne etiam notauit Gregorius de Valentia tom. 2.
 diſputat. 2. quaſt. 3. punct. 3. vbi ex Caietano
 addit, Sanctum Thomam, cum citat. quaſtion.
 8. articulo 3. ait, eundem eſſe actum quo volu-
 mus finem, vt rationem volendi media, & quo
 volumus media, non loqui de actu quo volu-
 mus explicite & formaliter finem, ſed quo vo-

lumus finem virtualiter. Certè ex Sancti Tho-
 mæ ſententia, Intentionem & Electionem inter
 nos moraliter & ordinariè eſſe actus realiter di-
 ſtinctos, facile poteſt demonſtrari.

16 Primò enim Sanctus Thomas in 1. 2. locis ci-
 tatis de Intentione & Electione agit, tanquam
 de diuerſis actibus voluntatis. Poſtquam enim
 quaſtion. 11. & 12. ex inſtituto egieſſet de frui-
 tione & intentione, tanquam de actibus volun-
 tatis, qui circa finem verſantur, mox initio
 quaſtionis 13. progreſſum faciens ad electio-
 nem, alioſque actus, qui circa media verſantur,
 ita præſatur: *Conſequenter* (ſecundum ordinem
 quandam posterioritatis accommodatum rebus
 ipſis) *conſiderandum eſt de actibus voluntatis, qui ſunt
 in comparatione ad ea, quæ ſunt ad finem, & ſunt
 tres, eligere, conſentire, & vti.* Vbi ab actibus
 voluntatis, qui circa finem verſantur, non mi-
 nus diſtinguit electionem, quam conſenſum,
 & vſum; qui omnium ſententia ſunt actus re-
 ipſa ab intentione diſtincti. Nec verò Sanctus
 Thomas vſpſam dixit, Intentionem & electionem
 eſſe vnum reipſa actum.

17 Secundo idem Sanctus Thomas quaſtion. 8.
 articulo tertio, ita loquitur: [Reſpondeo di-
 cendum, quod cum finis ſit ſecundum ſe volu-
 tus, id autem quod eſt ad finem, in quantum
 huiusmodi, non ſit volitum niſi propter finem,
 manifeſtum eſt, quod voluntas poteſt ferri in
 finem, in quantum huiusmodi, ſine hoc, quod fer-
 ratur in ea, quæ ſunt ad finem: ſed in ea quæ ſunt
 ad finem, in quantum huiusmodi, non poteſt
 ferri, niſi feratur in ipſum finem. Sic ergo vo-
 luntas in ipſum finem dupliciter fertur, vno
 modo abſolutè ſecundum ſe, alio modo ſicut
 in rationem volendi ea, quæ ſunt ad finem. Ma-
 niſteſtum eſt ergo, quod vnus & idem motus vo-
 luntatis eſt, quo fertur in finem, ſecundum
 quod eſt ratio volendi ea, quæ ſunt ad finem,
 & in ipſa, quæ ſunt ad finem. Sed alius actus
 eſt, quo fertur in ipſum finem abſolutè, & quan-
 doque præcedit tempore: ſicut cum aliquis pri-
 mo vult ſanitari, & poſtea deliberans quo-
 modo poſſit ſanari, vult conducere medicum,
 vt ſanetur. Sic etiam & circa intellectum acci-
 dit; nam primo aliquis intelligit ipſa principia
 ſecundum ſe, poſtmodum autem intelligit ea
 in ipſis concluſionibus, ſecundum quod aſſentit
 concluſionibus propter principia.]

18 Ex quibus verbis habetur. 1. Voluntatem
 poſſe ferri in finem, etiam in quantum huiusmo-
 di, vt loquitur expreſſè Sanctus Thomas, ſine
 hoc, quod feratur in ea, quæ ſunt ad finem. 2.
 Hunc actum, quo fertur in ipſum finem abſo-
 lutè, quandoque tempore eſſe priorem electione
 mediourum. 3. Intentionem ſeu voluntatem il-
 lam efficacem finis, ad electionem habere ſe, ſi-
 cut aſſenſum principiorum præuium ad aſſenſum
 concluſionis per principia; quos aſſenſus conſtat
 eſſe diuerſos. Quæ omnia & ſingula probant,
 voluntatem efficacem finis etiam, qua finis eſt,
 iuxta Sanctum Thomam eſſe actum diſtinctum à
 ſubſequenti electione mediourum; licet voluntas
 ſimul & per eundem actum feratur in finem, qua

ratione finis est ratio volendi media; sed diuersimodè; aut directè scilicet, in finem per media; aut directè in media propter finem, quod non negamus.

19 Tertiò idem Sanctus Thomas quæst. 12. artic. 4. vbi quærit, vtrum intentio finis sit idem actus cum voluntate eius, quod est ad finem, ita respondet: [Dicendum quod motus voluntatis in finem, & in id quod est ad finem, potest considerari dupliciter. Vno modo secundum quod voluntas in vtrumque fertur absolutè & secundum se; & sic sunt simpliciter duo motus voluntatis in vtrumque. Alio modo potest considerari secundum quod voluntas fertur in id, quod est ad finem, propter finem: & sic vnus & idem subiecto motus voluntatis est tendere in finem, & in id, quod est ad finem. Cum enim dico, Volo medicinam propter sanitatem, non designo nisi vnum motum voluntatis. Cuius ratio est, quia finis ratio est volendi ea, quæ sunt ad finem: idem autem actus cadit super obiectum, & super rationem obiecti: sicut eadem visio est coloris, & luminis: &c.]

20 Vbi rursus habetur, 1. finem secundum se (etiam formaliter vt sic, ex dictis loc. præced.) appeti posse absque eo quod velimus media. 2. Illo quidem actu, quo volumus media propter finem, simul ferri voluntatem in finem & media, sed diuersimodè, in hæc scilicet vt obiectum directum Quod, in illum autem solum vt rationem volendi. 3. Finem habere se ad media, sicut lumen ad colorem; potest autem lumen conspici absque colore, etsi vicissim color videri non possit, quin simul videatur lumen; sicut nec media formaliter qua media sunt, appeti possunt, nisi simul etiam feratur voluntas indirectè in finem, velut rationem volendi. Quod si visio colore necessariò simul videtur lumen, etiam vt obiectum. Quod, cum tamen velimus media propter finem, absque eo, quod simul directè velimus finem, vt obiectum Quod, ratio diuersitatis est, quia sensus non est potentia ita abstracta, vt intellectus, ac proinde quando ratio motiua obiecti vna cum obiecto simul etiam sensibilis est, velut obiectum Quod, fieri non potest, vt sensus eliciat sensationem quasi abstractam, qua solum feratur in obiectum illud vt Quod, nisi simul etiam feratur in rationem obiectiuam vt Quod, quandoquidem, vt supponimus, vtrumque simul tanquam obiectum Quod potentia sufficienter proponitur: at verò voluntas, cum sequatur propositionem & abstractionem intellectus, quoad obiectum propositum, potest ferri in medium vt medium velut obiectum Quod, & in finem solum velut obiectum Quo & rationem volendi, vt accidit in illo actu, quando vult medium propter finem, iuxta Sanctum Thomam loco supra citato.

21 Quarto idem ibidem quæst. 12. artic. 4. ad 3. cum in argumento obiectum fuisset, non esse idem electionem & intentionem, Sanctus Thomas minime responder, intentionem & electionem esse idem, vt sane debuisset, si id verum esse existimasset, sed aliam reponsonem adfert, quæ contrarium

non obscure indicat. Ita enim ait: *Ad tertium dicendum, quod motus qui est vnus subiecto, potest ratione differre, secundum principium & finem: vt ascensio & descensio, sicut dicitur in 3. physic. (text. 21.) Sic igitur in quantum motus voluntatis fertur in id quod est ad finem, prout ordinatur ad finem, est electio: motus autem voluntatis, qui fertur in finem, secundum quod acquiritur per ea, quæ sunt ad finem, vocatur intentio: cuius signum est, quod intentio finis esse potest, etiam nondum determinatis his, quæ sunt ad finem, quorum est electio.*

Vbi perspicue habemus 1. non omnem voluntatis motum erga finem esse intentionem, vt nec omnem motum voluntatis erga media esse electionem; sed vtrinque necessarium esse, illic quidem, vt finis qua finis, hic verò vt media, qua media sunt, velut obiectum. Quod directè appetatur, prout superius dictum est. 2. Intentionem finis etiam tempore priorem esse posse electionem mediorum. 3. Intentionem & electionem habere se vt ascensionem & descensionem in motu, qui procul dubio à parte rei differunt; vt rectè Valquez; etsi Sanctus Thomas subiecto idem esse, & ratione differre dixerit, quia motus localis cum mobili realiter identificatur; & solum ab eo modaliter & ex natura rei, seu vt Sanctus Thomas loqui solet, ratione ratiocinata differre: quod tamen de actibus voluntatis siue inter se, siue cum subiecto comparentur, dici non potest, cum à subiecto strictè realiter differant, ex omnium sententia. Similia habet Sanctus Thomas ibidem quæstion. 13. articulo 3. Ex quibus omnibus, mea quidem sententia, manifestè deducitur, intentionem & electionem, iuxta mentem Sancti Thomæ, propriè, & saltem moraliter loquendo, non esse eundem actum, sed realiter diuersum, vt proinde firma maneat superius allata probatio assertionis. Plura de hac re tomo 2. disput. 2. quæst. 3. dub. 4.

23 Quæ secundò etiam probatur, abstrahendo à nominibus Intentionis & Electionis. Quia actus ille, quo sanitas v. g. efficaciter appetitur, absque eo, quod vel de medijs quicquam omnino, aut saltem particulatim aliquid definitum est, est actus necessariò distinctus, & reali quadam subordinatione prior eo, quo particulatim seliguntur & appetuntur media; vt ex S. Thomæ loco cit. constat: sed efficax voluntas gloriæ tanquam finis beatorum, & voluntas particularis mediorum, adeoque meritum in Deo æquivalent & respondent actibus illis creatis realiter distinctis: Ergo cum voluntas diuina virtute continens duos actus realiter distinctos ac inter se subordinatos, necessariò sit etiam ratione nostra distincta, & inter se subordinata; necessariò fatendum, etiam efficacem voluntatem gloriæ tanquam finis beatorum, in Deo, esse ratione distinctam à voluntate particulari meritum seu mediorum.

24 Tertiò. Si Deus vult merita propter gloriam; necessarium est, voluntatem meritum esse, ratione distinctam, & subordinatam volutioni, qua directè vult gloriam; cum feratur in obiecta plura cum quodam ordine, ita vt vnum

velit.

velit propter aliud; sed verum est antecedens ex dictis supra disputat. 2. quæstion. 10. dub. 5. vbi docuimus, Deum proprie vnum obiectum velle, propter aliud; & retulimus Caietanum etiam asserentem, rectè dici, *hoc esse volitum à DEO, quia illud est volitum*; quod tamen ad præsens institutum non est necessarium dicere. Ex quibus proinde planè efficitur, voluntatem illam, qua Deus vult gloriam per media generatim spectata, ratione distinctam esse à voluntate directâ seu electione meritorum: & utramque voluntatem habere quandam inter se ordinem prioritatis secundum rationem; quod proinde pariter etiam de prædestinatione ad gloriam, & meritorum seu mediorum dicendum est; & multo magis de prædestinatione ad gloriam, & præscientia absoluta meritorum: quandoquidem præscientia hæc supponit prædestinationem meritorum, vt mox dicitur.

25 **A**ssertio II. Impossibile est, vt secundum rationem nostram, præscientia absoluta meritorum seu mediorum sit simul cum prædestinatione, seu electione ad gloriam: ac proinde etiam si voluntas efficax, seu prædestinatio gloriæ & meritorum esset re & ratione simul; nihilominus tamen præscientia meritorum esset actus à voluntate illa, seu prædestinatione gloriæ & meritorum, ratione necessariò distinctus, eaque posterior. Ita sentiunt authores pro præcedenti assertionem citati, & est proinde communis Doctorum, contra Nominales illos, aliosque nonnullos, qui eodem modo hac in re loquuntur de prædestinatione & præscientia meritorum seu mediorum; quasi hæc, non minus quam illa, simul ratione sit cum electione ad gloriam: quomodo etiam Gregorius de Valentia supra citatus docuit, præscientiam absolutam cooperationis perseverantis, esse quadam ratione simul cum decreto cuiuslibet effectus prædestinationis.

26 **P**robatur assertio. Quia præscientia absoluta meritorum, est actus consequens & supponens futuritionem absolutam meritorum; præscientia enim absoluta non est causa rerum; neque res ideò futurae sunt, quia Deus præsciuit esse futuras, sed ideo præscit futuras, quia futurae sunt, vt dictum supra de scientia Dei disputat. 2. quæst. 8. dub. 10. futuritio autem absoluta meritorum consequitur & supponit voluntatem & prædestinationem meritorum, tanquam effectus causam, vt generatim dictum ibid. & dub. 4. quæst. 10. Ergo etiam ipsa præscientia meritorum secundum rationem subsequitur & supponit voluntatem & prædestinationem meritorum: ac proinde etiam si voluntas & prædestinatio meritorum esset simul ratione cum voluntate & prædestinatione gloriæ, nihilominus tamen præscientia meritorum necessariò erit voluntate & prædestinatione meritorum posterior. Consequentia patet. Quia quod est ratione posterior aliquo, est etiam ratione posterior eo quod cum illo altero ratione simul est; ea enim, quæ re & ratione absolutè & simpliciter simul sunt, respectu nullius possunt habere ordinem prioritatis & posterioritatis. Gregorius autem de Valentia supponit ipsam præscientiam absolutam

meritorum, seu scientiam visionis, esse causam obiecti præsciti, quod refutauimus cit. q. 8. dub. 10. vt inferius asserit. 6. rursum dicitur.

27 **A**ssertio III. Datur in Deo secundum rationem nostram distinctio & ordo prioritatis, etiam inter ipsos quosdam actus diuinæ voluntatis, quibus homini efficaciter vult gloriam. Colligitur ex sancto Thoma quæst. 23. art. 4. vbi docet, Electionem ad gloriam supponere dilectionem: idem multò magis sentiunt omnes illi, qui docent, electionem ad gloriam esse ratione nostra priorem electione meritorum, quos sequenti dubio referemus. Probatur ex notatione superius præmissa. Si enim datur in Deo voluntas efficax, & quasi prædestinatio gloriæ, per merita seu media conferendæ; item voluntas efficax conferendæ gloriæ ex præuisis, seu post præuisa merita, sed nondum re ipsa exhibita; vt etiam voluntas conferendæ gloriæ, post merita ipsa actu exhibitâ, tum necesse est fateri, esse in Deo plures actus voluntatis ratione distinctos, ac inter se quodam ordine, prioritatis subordinatos, quibus Deus efficaciter homini vult gloriam: sed verum est antecedens, vt ostensum est: Ergo & consequens.

28 **A**ssertio IV. Necessariò admittenda est in actibus diuinæ mentis, quatenus efficaciter fertur in gloriam, & meritum electorum, duplex prioritas; vna nimirum secundum ordinem intentionis, altera secundum ordinem executionis: siue prædestinatio meritorum secundum ordinem intentionis simul sit, secundum rationem nostram, cum prædestinatione gloriæ, siue hæc sit prior illa. Ita sentiunt omnes illi, qui secundum ordinem intentionis electionem ad gloriam priorem faciunt prædestinationem & præscientiam meritorum; quos suo loco referemus; speciatim Bellarminus libr. secundo de grat. & lib. arbitr. capit. 14. & Suarez hic lib. primo capit. 8. numero 50. & libr. 3. de auxil. capit. 18. numero 4. Idem etiam, nolint velint, necessariò sentire debent illi, qui secundum ordinem intentionis nullam prioritatem rationis agnoscunt inter electionem seu prædestinationem ad gloriam, & inter prædestinationem seu præscientiam meritorum.

29 **P**robatur assertio secundum authores prioris sententiæ. Si enim in Deo datur gratuita voluntas seu decretum conferendi gloriam per merita, secundum ordinem intentionis prior prædestinatione & præuisione mediorum; & simul alia voluntas ratione distincta conferendi gloriam ob præuisa merita, ordine executionis posterior præuisione & prædestinatione mediorum; tunc necessario fatendum est, secundum hanc sententiam, in actibus diuinæ mentis, quatenus efficaciter fertur in gloriam & merita, esse duplicem ordinem prioritatis, secundum ordinem intentionis nimirum, & executionis; quandoquidem secundum eundem ordinem eadem voluntas gloriæ non potest absolute simul esse prior & posterior eiusdem respectu: sed verum est antecedens quoad posteriorem partem, ex dictis notatione initio præmissa: priorem

autem hi authores supponunt: Ergo & consequens in eadem sententia verum est.

30 Iuxta posteriorem autem sententiam probatur assertio hac ratione. Si enim præter actum diuine voluntatis, & quasi intentionem conferendi gloriam per merita, etiam iuxta hanc sententiam fatendum est, dari insuper in DEO actum voluntatis distinctum, & ratione posteriorem, quo nimirum DEVS vult electis in ipsa executione conferre gloriam post merita cum præuisa, tum re ipsa exhibitâ, tunc necessariò etiam secundum hanc sententiam admittendus est in DEO duplex ordo intentionis, & executionis, & duplex voluntas conferendi gloriam, vna simul ordine intentionis cum ipsa prædestinatione meritorum, altera ordine executionis posterior prædestinatione meritorum: sed verum est antecedens: Ergo & consequens.

31 Maior propositio probatur. Quia voluntas illa conferendi gloriam per merita, item conferendi gloriam post præuisa merita, sed nondum exhibitâ, vel etiam post merita iam re ipsa exhibitâ, sunt actus in DEO ratione distincti, & inter se subordinati, ita vt posterior priorem supponat, eumque subsequatur, ex dictis in notatione præmissa: Ergo si primus ille actus simul ratione est cum prædestinatione meritorum, posterior necessariò prædestinationem meritorum subsequetur: & quia primus ille actus conferendi gloriam per merita, vtique ad ordinem intentionis pertinet, imò est ipse quasi actus intentionis conferendi gloriam prædestinatis, posteriores verò ad executionem intentionis illius diuinæ iam præsuppositæ pertinent; quibus nimirum exequendum decernitur, quod iam antea per actum illum diuinæ quasi intentionis constitutum est, necessariò dicendum est, posteriorem actum esse ordine executionis posteriorem illo actu quasi intentionis, quem hæc sententia ordine intentionis simul esse dicit cum prædestinatione meritorum: præsertim quando eodem ordine intentionis non potest voluntas efficax gloria absolute & simul, & posterior esse prædestinatione meritorum: sed si quidem simul, & posterior est, necesse est in diuerso ordine, intentionis, & executionis, simul, & posteriorem esse, eadem prædestinatione meritorum.

32 Minor patet ex dictis in eadem notatione. Illic enim perspicue ostendimus, hos actus esse ratione distinctos, & habere inter se ordinem quandam prioritatis, Deoque necessario in omni sententia tribuendos.

Assertio V. Necessariò etiam proinde in Deo admittenda est duplex voluntas efficax conferendi gloriam; vna gratuita per modum electionis ad gloriam; altera secundum debitum ex præuisis meritis: siue electio ad gloriam secundum ordinem intentionis prior sit prædestinatione meritorum, siue vtraque simul sit secundum rationem nostram. Sequitur ex præcedenti assertione. Et quidem si Electio sit prior, secundum rationem prædestinatione meritorum,

patet assertio ex dictis assertione. præcedent. quia electio ad gloriam esto sit per merita, non tamen est ex præuisis meritis, seu propter merita: Ergo est gratuita hoc sensu, quia gratis à Deo, & non propter merita præuisa concipitur; et si onerosa dici possit alio sensu, quia est voluntas conferendi gloriam sub onere: altera autem illa executiua voluntas simpliciter debita & onerosa est, quia est ex præuisis meritis, & non gratuita.

Idem dicendum, si Electio ad gloriam ponatur simul cum prædestinatione meritorum. Nam cum actus ille, conferendi gloriam per merita, nondum supponat merita futura, multò minus præuisa, cum sit causa meritorum, vt superius dictum, necesse est, vt hæc sententia fateatur, voluntatem illam primam conferendi gloriam per merita, esse gratuitam, & non ex debito: cum tamen posterior illa voluntas conferendi gloriam ob præuisa merita, vel post præuisa, seu exhibitâ merita, non sit gratuita, sed debita, & ad iustitiam vtique pertineat. Plura de hac re inferius dub. 5. & supra disput. 2. quæst. 10. dub. 5. assert. 9.

Assertio VI. Præscientia absoluta meritorum, seu cooperationis perseverantis, non fuit simul cum decreto cuiuslibet effectus prædestinationis, qua talis; cum planè sit posterior non solum decreto gratiæ congruæ, sed etiam ipsa prædestinatione meritorum & cooperationis perseverantis. Hæc assertio est contra nouam quandam sententiam Gregorij de Valentia superius relatam, quam ex communi refellit etiam Vasquez 1. p. d. 92. numero 9. Probatur, primò, quia gratia congrua etiam secundum se, & suam substantiam absolute spectata, qua ratione est causa cooperationis, est effectus prædestinationis, iuxta Sanctum Paulum Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis*; & Augustinum in Enchiridio capite 32. & lib. de bono perseverantibus capite 6. aliosque Doctores, qui etiam propterea dicunt, DEVM incipere prædestinationem in nobis, sine nobis liberè cooperantibus. Neque enim vt sic est effectus communis providentiæ; quandoquidem secum consequenter trahit cooperationem & perseverantiam finalem; & tamen vt sic est prior ipsa cooperatione, vt fatetur etiam Gregorius de Valentia. Imò vocatio congrua est initium prædestinationis passiue, seu primum donum gratiæ, à quo inchoatur in ipso prædestinato (supposito Esse naturali) prædestinationis executio, non quatenus actu cooperatur cum libero arbitrio, nec quatenus coniungitur perseverantiæ finali, sed prout præcedit omnem arbitrij assensum, vt bene etiam Vasquez loco citat. Ergo præscientia meritorum non fuit simul cum decreto gratiæ congruæ.

Secundò, quia aliàs homo esset causa, aut saltem concausa totius prædestinationis, respectu omnium effectuum ipsius, qua effectus prædestinationis sunt: est enim causa seu concausa cooperationis perseverantis, sine qua ista sententia nullum ait effectum prædestinationis perfici

qua talis, hoc est, qua prædestinationis effectus est.

Tertio, quia præscientia absoluta DEI non est causa rerum, ex dictis supra disputat. 2. quæstion. 8. dub. 10. ac proinde nec præscientia meritorum est causa meritorum, ut supponit hæc sententia; sed potius ut præscientia absoluta cuius effectus divini, ratione posterior est ipsa præfinitio seu decreto practico, ipsaque futuratione eiusdem effectus, ita etiam præscientia absoluta meritorum ratione posterior est prædestinatione & futuratione eorundem meritorum.

35

Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondetur primò, negando antecedens: si sensus sit, quemlibet effectum prædestinationis secundum se seorsim spectatum, qua præcisè talis est, & abstrahendo à scientia DEI media, habere infallibilem respectum ad salutem æternam ipsius prædestinati: certa enim liberatio & assecutio vitæ æternæ, quæ in definitione prædestinationis ponitur, non est proprietas singulorum per se effectum prædestinationis, etiam qua tales sunt, sed omnium simul donorum gratiæ, seu totius collectionis eorundem, prout inter se subordinantur. Quod etiam cernitur in partibus domus, quæ dici potest structura habitationi hominum destinata, & idonea ad arcendas cœli iniurias; & quamvis singulæ partes domus sint effectus, ad eum quem diximus finem constructæ, non tamen ideo singulæ per se seorsim arcant cœli iniurias, neque ideo etiam simul ab artifice intentæ sunt aut perfectæ, sed certo quodam inter se ordine.

Respondetur secundò, negando consequentiam. Quia etiam si singuli effectus prædestinationis habeant respectum infallibilem ad salutem æternam prædestinati, adeoque ad ipsam etiam perseverantiam prædestinati, certò & infallibiliter futuram, non tamen est consequens, singulos decretos esse, cum præscientia ipsius perseverantiæ, tanquam ratione simul existente in mente divina; quandoquidem ante præscientiam absolutam, quæ prædestinationem sequitur, respectum eiusmodi infallibilem habent ex ipsa scientia media, seu ut subsunt scientiæ Dei conditionatæ, quæ procul dubio prior est prædestinatione.

36

Restat nunc, ut eorum etiam argumenta solvamus, qui censent, nullum esse prioritatis ordinem inter electionem ad gloriam, & prædestinationem, aut etiam præscientiam meritorum: quanquam, ut deinceps patebit, nullum fere argumentum eò spectat, ut probeat, ipsam etiam præscientiam meritorum simul ratione esse cum prædestinatione ad gloriam; cum tamen de hoc potissimum sit controuersia, ut dignoscatur, an prædestinatio ad gloriam fuerit gratuita, an ex debito.

Primum ita nonnulli argumentantur: Omnis voluntas efficax quæ finis intentio, licet oblique & minus principaliter, necessariò tamen & essentialiter includit etiam media: atqui Scoti absolutum decretum dandi prædestinatis glo-

riam, ante præuisa merita, non potest dici alius diuinæ voluntatis actus, quam Intentio supernaturalis finis, ut plerique etiam sponte fatentur, speciatim Suarez lib. 1. de prædestinat. capit. 7. & 8. & alibi passim: cogitari igitur & attribui DEO contemplatione nostra non potest, quin simul complectatur media illa, per quæ decernebatur idem finis consequendus, eaque non confusè, siquidem talis cognitio diuinam maiestatem dedecet. Ergo fieri nulla ratione potuit, quod Scotus docet, ut Deus ab æterno efficaci quodam decreto solam beatitudinem cuiquam prædestinatorum intenderet, non præuisis gratiæ meritis & medijs, per quæ in tempore foret obtinenda. Huius argumenti forma dicitur esse optima. Minor probatur autoritate, experientia, seu inductione, & ratione duplici.

Respondeo negando maiorem, & consequentiam utramque. Maior enim falsa est, si Sanctum Thomam audimus in 1. 2. quæst. 8. articulo tertio, ubi expresse ait: *Cum finis sit secundum se volutus, id autem quod est ad finem, in quantum huiusmodi, non sit volutus, nisi propter finem, manifestum est, quod voluntas potest ferri (nimirum efficaciter etiam) in finem, in quantum huiusmodi, sine hoc, quod feratur in ea, quæ sunt ad finem: sed in ea quæ sunt ad finem, in quantum huiusmodi, non potest ferri nisi feratur in ipsam finem.* Et rursum quæstione 1. 2. articulo 4. ad 3. inquit Sanctus Thomas: *Intentio finis esse potest, etiam nondum determinatis his, quæ sunt ad finem, quorum est electio; ut etiam superius retulimus. Falsum est igitur, efficacem voluntatem finis consequendi necessariò & essentialiter includere media, præsertim in particulari: quod proinde etiam de intentione finis dicendum: quia voluntas efficax finis seu boni per se expetibilis consequendi, non potest esse, nisi Intentio. Quò fit ut finis etiam formaliter concipi possit, absque hoc quod actu & explicitè referatur ad media, nimirum ita, ut sit bonum propter se expetibile; tamen medium ut medium concipi non possit, nisi cum respectu ad finem, ut planè docet Sanctus Thomas cit. quæst. 8. art. 3.*

37

Consequentiæ prima negatur; quatenus infert, DEVM in nullo instanti rationis cogitari posse, vllam habuisse voluntatem circa media, in obliquo spectata, quin simul in eodem rationis instanti distinctè eadem voluerit: quasi alias confusa DEO cognitio tribuenda sit, quæ diuinam maiestatem dedecet. Primo enim non est hic de cognitione sermo, sed de efficaci appetitione, & potuit Deus omnium mediorum distinctam cognitionem saltem simplicis intelligentiæ (quæ sola practica est) simul in eodem instanti aut potius ante illud rationis instans habere, sicut etiam re ipsa habuit; quamvis voluntas efficaciter in eodem instanti solum ferretur in media generatim; sicut etsi omnium mediorum possibilitatem simul distinctam cognitionem haberet Deus, potuit tamen aliqua solum, non omnia efficaciter velle: præsertim cum ipsemet etià Molina q. 23. a. 4. & 5. d. 1. memb. 8. in fine, distinguat in Deo duplicè voluntatè prædestinandi homines,

38

vnam generalem & necdum determinatam ad certas personas; alteram particularem singulorum; quarum illa sit prior prædestinatione Christi, hæc posterior. *Etenim, inquit, licet Christi prædestinatione non antecedit voluntatem absolutam redimendi genus humanum per Christum, & per consequens prædestinandi in genere homines aliquos in Christo, antecedit tamen singulorum prædestinationem, qui ab ipso sunt redempti.* Secundo non ideo confusa Deo tribuitur cognitio, quamuis in vno instanti rationis secundum nostrum intelligendi modum asseratur habuisse cognitionem rerum aliquarum generalem, non particularem: quando præcisio hæc rationis non facit, quod minus interim Deus re ipsa simul eademque cognitione distinctè cognouerit omnia. Alioquin pari ratione dici posset, Deum in nullo instanti rationis habuisse cognitionem quasi abstractiuam rerum possibilium tantum, priusquam haberet scientiam intuitiuam existentium: quod tamen est contra omnes Theologos, & apertam rationem, cum illa scientia sit necessaria in Deo, hæc libera, vt suo loco dictum. Vide etiam de hac re infra dub. 7.

39 Consequentia secunda, à qua tamen omne ferè momentum pendet, manifestè falsa est; ideo, quia assumit nouum terminum, qui nec formaliter, nec virtualiter continebatur in antecedenti, nimirum intendere beatitudinem *non præiis meritis & medijs*: quasi idem sit intendere beatitudinem non per merita, qui terminus in antecedenti ponebatur; & intendere beatitudinem non præiis meritis; cum tamen hæc sint distinctissima; nec à negatione illius ad negationem huius, vlla sit consequentia: siquidem falsum esse potest, Deum intendere beatitudinem non per merita & media, & nihilominus verissimum Deum intendere beatitudinem non præiis meritis & medijs, nimirum præscientiâ absolutâ, de qua solum in præfenti loco est sermo: cum præscientiâ absolutâ meritorum & mediorum subsequatur prædestinationem eorundem; & prædestinare per merita non significet merita esse causam seu rationem prædestinationis etiam ad gloriam; quod tamen significant verba illa, prædestinare ex meritis, vt dictum supra assert. 2.

40 Secundo obijcitur. Finis formaliter appeti non potest, nisi per idonea media; sicut nec media, nisi cum ordine ad suum finem: Ergo cogitari ab humana ratione nec debet, nec verè potest; primum aliquod instans ac signum, quo Deus electis suis solam gloriam intenderit, neque secundum quo sola media gratiæ ac bonorum operum.

Respondeo diuersam esse rationem finis & mediorum: finis enim formaliter aliquo modo (pro ut scilicet absolutè etiam concipi potest) expeti potest absque vlla expressâ & actuali cogitatione & volitione mediorum etiam in genere; at verò media non item, nisi simul obliquè etiam appetatur finis, vt ex S. Thoma in 1. 2. quæst. 8. art. 3. in solutione argumenti præcedentis diximus. Nec que Scotus, vel alius Theologorum vllus, in secundo instanti ita à Deo expeti docuit media, quin simul in obliquo expetatur etiam finis; sed hoc dicunt, in primo instanti directè solum finem, in

secundo directè sola media expeti, vt superius exposuimus.

41 Tertiò obijcitur. Quamuis in humanis actibus alius sit Intentionis, quam Executionis ordo, quo nimirum prius intenditur finis, quam eligantur media, electaque executioni mandentur, talis tamen ordo & progressio humanæ cognitionis imperfectione nititur: Ergo in Deo locum non habet.

Respondeo ad consequentiam, non habere locum prout imperfectionem inuoluit, imperfectæ cognitionis, itemque realis pluralitatis & successione actuum, qualis in Deo nulla est: sed non sequitur, secundum rationem nostram non posse, per comparationem ad actus humanos, pluralitatem eiu modi quandam & ordinem actuum in Deo constitui. Alias enim in Deo omnis plane secundum rationem pluralitas actuum & subordinatio esset medio tollenda; cum non nisi per respectum ad actus creatos, prout supposita subiecti creati imperfectione, realiter multiplicentur & subordinantur, distinguantur, vt supra dictum, & fufius disp. 2. q. 10. dub. 5.

42 Quarto obijcitur. Etsi quidem homines, pro intellectus sui imbecillitate & ignorantia, plerumque solent peculiari quodam actu fines intendere, ac postea ad distinctam specialemque mediorum inquisitionem, cognitionem, & vnus præ alijs electionem, deliberando progredi, tamen si eam cognitionem vel ante, vel simul ac finem excipimus intendere, habere possumus, vt Deus, & Angeli, tum prætermissio deliberationis labore, plurimumque actuum exercitio & discursu, vno primoque statim actu finem cum medijs factis distinctè cognitis appetemus: Ergo cum in Deo, in quolibet rationis instanti sit perfectissima & distinctissima cognitio (ad simplicem intelligentiam spectans) omnium mediorum, fatendum est, cum vnico primoque statim actu finem cum medijs appetere, sine vlla nimirum pluralitate, & subordinatione actuum intentionis & electionis, etiam secundum rationem nostram.

43 Respondeo negando consequentiam, ob duas causas, Primum, quia procedit ex hypothesi falsa & impossibili, ex qua non mirum, si sequatur falsum. Certe si alia esset ratio & ordo operandi in humanis, quam modo est, aliter etiam in Deo rationem & ordinem actuum secundum rationem nostram constitueremus: at verò respiciendo, vt par est, ad eum modum & ordinem operandi, quem in nobis re ipsa cernimus, utcumque ex imperfectione nostrâ prouenientem, merito etiam eum, quem diximus, ordinem, non quidem re ipsa (quod imperfectionis esset) sed secundum modum tantum nostrum intelligendi, Deo, omni imperfectione seclusa, tribuimus.

44 Secundo. Etiam posito antecedenti, tamen non sequeretur, ideo in homine non fore re ipsa distinctos proprios & formales actus Intentionis & electionis, sed ex hypothesi illa hoc solum sequeretur, fore vt homo simul & vnico re ipsa actu intendat finem per media, etiam particulatim cognita; qui tamen est actus propriè directè & expressè solius intentionis, non electionis: quan-

doqui-

doquidem eo actu solus finis directe, media autem solum oblique appetuntur. Quare actus ille non obstat, quo minus etiam habere possit alium actum realiter distinctum, & saltem ordine naturæ, si non temporis posteriorem, quo directe appeteret media propter finem; qui est actus electionis. Multo minus igitur concludi potest, in Deo non posse secundum rationem distinguere Intentionem quasi beatitudinis, & electionem mediorum, & hanc illi aliquo modo subordinari, quia ad hanc distinctionem rationis sufficeret realis distinctio similium actuum in homine, cum subordinatione eorum inter se ex natura rei: præsertim quando Deo utraque voluntas efficitur & finis, & mediorum modo perfectissimo tribuenda est.

44 Quinto obijcitur. Electio gratuita ad gloriam, qualem constituunt illi, qui eam ratione priorum faciunt præscientia meritorum, contradictoriè opponitur electioni ex præiis meritis, qualem statuunt tum alij Theologi, tum illi, qui ratione simul dicunt esse prædestinationem gloriæ & meritorum præscientiam: Ergo non potest simul constitui Electio gratuita ad gloriam, & aliud decretum diuinum ratione posterius, (ad ordinem executionis pertinens) quo Deus decreuerit conferre gloriam ex præiis meritis, vt docuimus assertione 4. & c.

Respondeo negando consequentiam. Quia decretum illud, quo Deus decernit gloriam ex præiis meritis, cum sit posterius electione ad gloriam, atque ad ordinem executionis, non intentionis pertineat, proprie & strictè loquendo non est electio ad gloriam, sed executiuum decretum conferendi gloriam ijs, qui iam antea priori decreto sunt electi. Electio enim ad gloriam proprie dicit segregationem saluandorum ab ijs, qui saluandi non sunt, quæ segregatio proprie non fit decreto illo executiuo, sed supponitur. Quare esto, electio ex præiis meritis, & electio gratuita, proprie & strictè loquendo, sibi contradictoriè opponantur, certè tamen qui statuunt electionem ad gloriam ante præiis merita, non statuunt aliam electionem ex præiis meritis, vt obiectio supponit, qualem oppositæ sententiæ authores constituunt.

45 Quod si dicas, Electio ad gloriam gratuita, contradictoriè opponitur cuilibet decreto conferendi gloriam, ex præiis meritis, etiam executiuo; sicut conferre alicui gloriam gratis, & non gratis, contradictoriè opponuntur. Ergo hæc duo decreta non possunt simul stare in Deo. Respondeo falsum esse antecedens. Quia electio dicitur gratuita, non quod per eam Deus statuatur conferre gloriam gratis, sed quia Deus gratis, hoc est, absque prouisione meritorum, statuit conferre gloriam, quocumque æmum medio interueniente sit conferenda, ita vt vocabulum *gratis* denominet & appellet verbum statuit, non autem verbum conferre. Quo fit, vt eiusmodi electio gratuita minimè pugnet cum decreto conferendi gloriam non gratis, sed ex præiis meritis: sicut etiam cum eo non pugnat ipsa actualis collatio gloriæ ex præiis meritis.

Et vero posse primam ordinationem seu intentionem conferendi aliquibus præmium esse gratuitam, cum tamen actualis collatio præmij, seu decretum ipsum executiuum conferens præmium non sit gratuitum, patet quotidiano exemplo Regis, qui liberali solum & gratuita benignitate, adeoque gratis destinat & proponit præmia certantibus & vincentibus, cum tamen postea, vt ea in executione gratis non confert, ita etiam decretum ipsum executiuum, quo præmium re ipsa confertur, non sit gratuitum, sed ex præiis meritis. Quod miror tandem ab authoribus quibusdam contrariæ sententiæ non animaduerti.

46 Dices. Hoc ipso, quod Rex ille decreuit præmia non nisi decertantibus & vincentibus, non decreuit præmium vllis conferre, nisi mediante certamine & victoria obtinendum: Ergo non fuit gratuita illa ordinatio. Respondetur, negando consequentiam: quia certamen illud & victoria non erat medium ad ordinationem illam faciendam, quæ solum gratuita, vt dictum, benevolentia Principis facta est, sed solum est medium ad conferendum re ipsa præmium. Quare etiam hæc admodum distincta sunt, velle conferre gloriam per merita, & velle conferre gloriam ex præiis meritis: prior enim voluntas potest esse gratuita, posterior non item.

Omitto quod in Antecedente quinti huius argumenti supponitur, simul esse præscientiam meritorum & prædestinationem gloriæ, & nihilominus prædestinationem ad gloriam esse ex præiis meritis; quæ tamen duo manifestè implicare contradictionem supra assertione secunda & quinta ostendimus; neque vero idem est præscientia meritorum, aut prædestinatio gloriæ ex præiis meritis, cum prædestinatione meritorum, aut cum prædestinatione gloriæ per merita, vt sapius dictum.

47 Sexto obijcitur. Iuxta veteres Patres & Theologos, prædestinatio tota in mente diuina ita peracta & plane consummata est, quod nimirum Deus, supposita tam scientia absoluta omnium rerum possibilium, quam conditionata futurorum contingentium, statuit cum vnoquoque saluando, omnium mediorum seriem exequi, quibusdam certo & infallibiliter, si talia ipsi saluti media conferret, pronouit, æternæ beatitudinis gloriam consecuturum: Ergo secundum rationem nostram nec prius gloriam, quam gratiæ merita, nec vicissim gratiam ante gloriam, sed utraque simul decreuit.

Respondeo primum: Vtinam Antecedens ex veteribus Patribus & Theologis ab obijcente tam probatum redderetur, quam confidenter eis tribuitur; equidem nos eum prædestinationis modum, mediante scientia media peractum, libentissimè amplectimur, & defendimus disput. 2. quæst. 10. dub. 5. vbi de scientia media egimus, sano tamen modo intellectum. Primum, vt Deus in vnoquoque saluando non omnium plane mediorum seriem delegisse dicatur, quibuscum eum, si darentur, gloriam consecuturum præiudicet, vidit enim in vnoquoque prædestinato adhuc

infinita alia media possibilia, quibuscum, si darentur, saluatum iri præuidit, neque hoc modo loquuntur Theologi; sed vt ea certe media, quibuscum vnumquemque saluatum iri præuiderat, delegerit. Secundo vt prædestinatio tota formaliter non censetur peracta sola illa selectione mediourum, quia negari non potest, prædestinationem simul etiam formaliter includere directam & expressam voluntatem gloriæ, seu electionem ad gloriã, vt dictum quæst. 2. dub. 1. sed interueniente tamen dæscientia media, selectioneque illorum mediourum, quæ diximus, consummatam fuisse prædestinationem, omnino concedimus.

48 Quo posito, respondetur secundo, negando consequentiam; quia cum prædestinatio diuina non complectatur solum ordinationem illorum mediourum, sed directam etiam & expressam voluntatem gloriæ, quæ quidem etiam voluntatem illam efficacem mediourum ratione antecessit, vt dubio sequenti dicitur, negari nullo modo debet, diuinam prædestinationem, secundum rationem nostram, complecti plures actus diuine mentis, eosque ordine quodam prioritatis inter se subordinatos, vt dictum. Quod ipsum tamen etiam pariter dicendum esset, tametsi prædestinatio solum mediourum voluntatem complecteretur, quia nihilominus ipsa media, prout propius aut remotius fini coniuncta sunt, quendam inter se ordinem habent, ob quam pluralitatem & subordinationem, etiam pluribus actibus ratione nostra & quodam ordine eligi à Deo dicendum foret, vt inferius suo loco magis patebit quæst. 5. dub. 6.

D V B I V M III.

Vtrum in diuina mente Electio seu prædestinatio ad gloriã, ratione prior sit, tam prædestinatione, quam præscientia meritorum, seu mediourum, vel contra: speciatim quid hac de re tum ceteri Doctores, tum præcipuè S. Augustinus, & S. Thomas senserint.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 4. 5. & 7.

1 C Onstituto iam antea præcedenti dubitatione hoc principio, esse secundum rationem nostram in diuina mente ordinem aliquem prioritatis inter Electionem seu prædestinationem ad gloriã, & inter prædestinationem, multoque magis præscientiam meritorum seu mediourum, restat vt ordinem hunc particulatim ac distinctè explicemus; quod sequenti demum dubitatione faciemus; postquam hoc dubio varias hac de re Doctorem sententias, ac præsertim quamnam fuerit hac de re S. Augustini, & S. Thomæ sententia exposuerimus.

Sunt igitur hac de re vniuersim tres Docto-

rum sententia. Prima vniuersim docet, voluntatem efficacem, seu prædestinationem atque etiam præscientiam meritorum, seu mediourum, seu quod eodem spectat perseverantiæ finalis, ratione priorem esse electione seu prædestinatione ad gloriã. Hanc sententiam ex instituto prolixè sequitur & defendit Vasquez 1. p. tom. 1. disputat. 89. cap. 2. & seqq. & quamuis eodem capite 2. à numero 10. ex instituto eam auctoritate Doctorem confirmare nitatur (in qua re etiam ipse alias solet esse diligens & accuratus) plures tamen pro ea non citat ex ijs, qui sua scripta in lucem dederunt, quam Bartholomæum Camerarium in dialog. cap. 5. Olorium lib. 9. de Iustitia, Turrianum opusculo de electione, & Guilelmum de Rubione in 1. d. 41. quæst. 1. art. 1. & 2. conclus. 3. quibus adde Argentinam in 1. d. 41. quæstion. 1. art. 2. Pighium lib. 8. de lib. arb. cap. 2. Stapletonum in cap. 9. Rom. & orat. sing. Addit Vasquez: Idè sensisse videtur Maior in 1. d. 40. q. 2. sed quem inferius aperte pro opposita sententiã adducemus. His ex parte idem Vasquez subiungit Ockamum & Gabrielem; sed quos ipsemet notat non esse huius primæ sententiæ, sed eius quam secundo loco referemus.

2 His à nonnullis addunt Albertus, & Henricus Gandauensis: sed quos merito prætermisit Vasquez; cum potius oppositum sentiant, vt bene etiam notauit Henriquez lib. vlt. c. 11. §. 3. lit. O. Eandem sententiam sequuntur Gregorius de Valentia q. 23. punct. 4. §. 3. 4. 5. 6. aliique nonnulli recentiores: è quibus non nemo, solum B. Virginem excipiens, quoad ceteros, hanc etiam censuram edito libro vulgatam addidit his verbis: *opposita sententia mihi semper visa est à veritate, & doctrina sacra Scriptura, & SS. Patrum aliena; nec pietati & moribus satis consona, &c.*

Solent etiam à nonnullis pro hac sententiã adduci ex antiquis Scholasticis omnes illi, qui falsò quidem & improbabiler senserunt, dari ex parte prædestinati causam siue totius prædestinationis, siue prædestinationis ad primam gratiam, saltem ex parte effectus; quos superius quæst. præced. dub. 4. retulimus, & quos solos etiam refert Eckius in Chrysopasso centur. 3. n. 29. Sed qui tamen ad præsens institutum vniuersim non spectant; quia etsi quidem illi docuerint, ex parte prædestinati dari causam primæ gratiæ, seu etiam prædestinationis ad primam gratiam congruam, ex parte effectus; simul tamen plerique aperte negarunt, dari causam seu rationem ipsius per se prædestinationis, vt ibidem retulimus, & speciatim videre est in Alenico, Bonauëtura, Gandauense; & notauit ipsemet Vasquez cit. disp. 91. c. 10. n. 65; adeo vt ex illis, præter Argentinam, & eos, quos iam antea retulimus, vix alios inuenias.

3 Tametsi vero authores superius citati præcipuè de adultis loquantur, tamen seruata proportione idem de paruulis sentiunt; nimirum eos ad gloriã prædestinatos non esse, nisi post præuisionem applicationis salutaris eorum mediourum, quibuscum gratiam ad finem vsque perseverantem erant consecuturi. Quocirca etiam Vasquez disp. 90. cap. 2. omnium prædestinatorum

eandem

candem esse rationem docet, & disputatione 89. numero 86. expressè hoc extendit ad paruulos, seruata proportione; asserens videlicet, eos non fuisse efficaciter electos ad gloriam, nisi ex præscientia iustificationis. Idem citata disputatione 89. capite secundo ait, hanc sententiam non paucis, nec indoctis Theologiæ Professoribus in Germania, Gallia, & Hispania hoc nostro seculo probatam. Argumenta huius sententiæ dubio 5. referemus & dissoluemus.

4 Secunda sententia priori affinis est, à toto quidem genere, & in plerisque saluandis, præscientiam meritorum, seu mediorum, ratione priorem fuisse prædestinationem ad gloriam, nihilominus tamen quosdam eximie à Deo dilectos, fuisse prædestinatos ad gloriam, ante præuisionem meritorum, uti nimirum B. Virginem, Ioannem Baptistam, Apostolos, aliosque his similes. Ita docent Ockam in 1. d. 41. quæst. 1. Gabriel ead. dist. quæst. 1. art. 2. Catharinus opusc. de prædest. Dei lib. 1. cap. vlt. & lib. 3. cap. 1. & 2. & videtur sequi Eckius in Chrysostasso centur. 2. numer. 94. ubi asserit, Deum aliquos sine ratione prædestinare, in quibus recenset eos, quos diximus; aliquos verò cum causa & ratione. Quam sententiam quoad posteriorem partem, saltem ut magis piam & benignam, ac populari captui magis accommodatam approbat, ut videre licet centur. 2. num. 58. & centur. 3. à num. 25. Eandem sententiam ex parte sequitur Lessius, quatenus saltem vnam B. Virginem ante præuisionem meritorum prædestinatam asserit, ut dictum in relatione præcedentis sententiæ. Eandem ex Catharino refert, & olim secutum se fuisse testatur Sixtus Senensis libro 6. Biblioth. numero 248. & seqq. [Eam, inquit, per decem annos prædicauit in multis & præcipuis Italiæ urbibus; sed tamen postea cum animaduertissem, huiusmodi assertionem difficultatibus & angustijs non paucis præmi, & ob id plerisque doctis & pijs Theologis non probari, satius duxi, ab eius prædicatione desistere, quam pio eruditorum iudicio improbata docere.]

5 Tertia sententia vniuersim docet, prædestinationem seu electionem ad gloriam, respectu omnium tam hominum, seu adultorum seu paruulorum, quam Angelorum, factam esse ante prædestinationem & præuisionem meritorum, seu mediorum in particulari, quibus iidem saluandi erant, ac proinde Deum absoluto decreto præuisionis, omnes, qui saluantur, prædestinasse seu elegisse ad gloriam. Ita præter S. Thomam, de quo infra, significat Magister in 1. distinct. 41. qui cum initio hæc verba præmississet: [Si autem quarimus meritum obdurationis & misericordiæ, obdurationis meritum inuenimus, misericordiæ autem meritum non inuenimus,] mox absolute negat meritum ex parte nostra tam prædestinationis, quam electionis: [Opinati sunt quidam, inquit, Deum ideo elegisse Iacob, quia talem futurum præsciuit, qui in eum crederet, & ei seruiret: quod aliquando Augustinus se sensisse dicit in libro Retract. (1. cap. 23.) ubi aperte offendit, quod si propter futura merita

electus esset, iam non ex gratia esset electio. Non ergo ideo electus est à Deo, quia talis futurus erat, sed ex tali electione talis est factus, &c.] Et in eundem sensum loquitur tota illa dist. nupquam vel verbo indicans, electionem ad gloriam factam esse ex meritis.

6 Idem sentit Albertus in 1. dist. 41. artic. 3. ubi ait: [Distinguendum est in prædestinatione; quod quiddam est ibi æternum, ut propositum; & quoddam determinabile ad tempus, ut collatio gratiæ; & ex parte æterni nec causam finalem habet, nec rationem propriè loquendo; quia ratio etiam aliquo modo elicit opus: merita autem futura nullo modo eliciunt propositum Dei: ex parte autem effectus, in quo determinabilis est prædestinatio & reprobatio ad tempus, habent rationem meriti (hoc est ipsum meritum) non tamen causam finalem.] Vbi simpliciter negat, merita esse rationem prædestinationis secundum se; licet esse possint ratio prædestinationis ex parte effectus; quod in primis de gloria accipiendum.

7 Idem sentit Richardus in 1. d. 41. articulo secundo quæst. prima ubi ait: [Videtur ergo mihi dicendum, quod si consideremus effectum prædestinationis in particulari, quod præscientia vnius effectus bene est ratio, quare Deus præordinauit se daturum saluando alium effectum; ut quia præsciuit se daturum aliquibus finalem gratiam, ordinauit eis (nimirum decreto executiuo) se daturum interminabilem gloriam, & e conuerso: (hoc est, quia præordinauit se daturum aliquibus interminabilem gloriam, ideo præsciuit se daturum aliquibus finalem gratiam) secundum quod gloria est causa gratiæ, secundum rationem causæ finalis; & gratia causa gloriæ, secundum rationem meritorie causæ.] Quibus verbis Richardus aperte sentit, non solum præscientiam gratiæ finalis (eadem est ratio meritorum) esse rationem ordinationis ad gloriam, sed etiam ordinationem ad gloriam in genere causæ finalis, esse rationem præscientiæ finalis gratiæ seu meritorum: è quibus posteriùs dictum utique de ordine Intentionis, qui ex causâ finali desumitur, prius autem de ordine executionis, quò spectat causalitas efficientis, adeoq; meriti in ordine ad gloriam, necessario accipiendum est, ut sequenti dubio magis declarabitur. Vnum enim & idem decretum non potest esse prius præscientiæ meritorum, & posteriùs, eodem ordine.

8 Et eodem articulo secundo, quæstione secunda ad 2. apertissimè: [Deus, inquit, non tenebatur ex debito aliquem prædestinare, sed ex mera liberalitate aliquos prædestinavit ad vitam æternam, & aliquos illorum ad altiorem gradum vitæ æternæ: nec propter hoc iuste potest Deus reprehendi de inæqualitate, quia hoc faciendo nulli denegat debitum. In his enim, quæ ex mera liberalitate dantur, potest dans aliquibus dare, & alijs non dare secundum plus & minus, absque præiudicio iustitiæ.] Ita Richardus.

Idem

Idem indubitatè sentit Agidius, quando efficacem dilectionem, qua Deus efficaciter saluandis vult gratiam & gloriam, atque etiam electionem ad eosdem terminos, priorem facit prædestinationem, qua per certa media saluandi diriguntur ad vitam æternam; vt agnoscit etiam Vasquez citat. disput. 89. capit. primo. Verba illius in 1. d. 41. quæstio. 1. artic. 2. sunt. Cum enim dixisset, dilectione hoc loco non esse aliud, nisi secundum quod Deus suis amicis vult bonum gratiæ & gloriæ: hancq; esse posteriorem dispositione, subiungit: [Deus prius diligit, quàm eligat, quia cum diuina voluntas non inclinatur ad volendum ex exteriori bono, & quia res est bona, Deus eam diligit; sed magis quia rem diligit, bona existit; cum eligibile habeat rationem boni, secundum modum intelligendi, Deus prius vult nobis bonum, quàm nos eligat; quia cum non sumus boni, nisi quia vult nobis bonum, nec sumus eligibiles, nisi quia sumus boni, Deus nos non diligit, nisi quia vult nobis bonum: Ergo ipsum velle bonum, siue ipsum diligere in Deo secundum modum intelligendi electionem præcedit. Electio autem præcedit librum vitæ &c. Hic autem liber vitæ præcedit prædestinationem Dei, Deus enim cum aliquem velit destinare ad vitam, prius eos eligit &c. *Et resp. ad 4.* Electio, inquit, non est idem quod prædestinatio, sed præcedit eam.] His consentiunt ea., quæ docet idem auctor ibidem q. 2. artic. 1. vbi de causa prædestinationis agit.

Item Vdalricus de Argentina, Alberti Magni Auditor, in Summa sua lib. 2. apud Dionisium Carthus. d. 41. q. 2. docet, [quod consilium, electio, & consimilia quædam, quæ aliquid imperfectionis includunt, competunt Deo, secundum id, quod perfectionis in ipsis est; omni imperfectione seclusa: & item quod sicut dilectionem sequitur electio, ita electionem prædestinatio; quæ præcedentia non est, nisi secundum rationem & ordinem intelligendi.] Cum ergo præscientia mediæ & meritorum sequatur prædestinationem, aut certè ea prior non sit, necesse est electionem & dilectionem etiam efficacem saluandi, priorem esse prædestinationem & præscientia meritorum.

Idem apertè docet Heruæus in 1. dist. 41. q. 1. a. 1. [Tertiò, inquit, sciendum est, quod ita se habent per ordinem, scilicet voluntas comunicandi finem, electio aliquorum, quibus finis & bonum comunicetur, & conceptio eorum, quæ conferenda sunt electis ad assequendum finem, & propositum conferendi ea. Prius enim est velle communicare bonum & finem, quàm eligere, quibus comunicetur: qua electione præceptatur, vnus alij, vt cui comunicandus est talis finis: prius est etiam eligere aliquos, quibus est finis conferendus, quam præconcepere media conferenda, & quam propositum conferendi. Et quia prædicta præconceptio est formaliter prædestinatio, habet secum concomitantem triplicem actum voluntatis, scilicet duos antecedentes, videlicet voluntatem comunicandi finem, & electionem eorum, vel illorum, quibus conferatur; & vnum sequentem, scilicet propositum media conferendi, quibus electi finem consequan-

tur.] Vbi simul expressè habes, actum Intentionis esse priorem electione ac volitione mediæ, vt dub. præced. probauimus.

Idem docet Scotus iuxta eam, in quam magis inclinatur sententiam in 1. dist. 41. q. 1. [Volens, inquit, ordinatè finem, & ea quæ sunt ad finem, prius vult finem, quàm aliquid entium ad finem: quia propter finem alia vult. Ergo cum in toto processu, quo creatura beatificabilis perducitur ad perfectum finem, finis vltimus sit beatitudo perfecta, Deus volens huic aliquid istius ordinis, primò vult huic creaturæ beatificabili finem, & quasi posterius vult sibi alia, quæ sunt in ordine illorum, quæ pertinent ad illum finem: scilicet licet gratia, fides, merita, & bonus vsus liberi arbitrij, omnia ad istum finem sunt ordinata; licet quædam remotius, & quædam propinquius: Ergo primò isti vult Deus beatitudinem, quam aliquid istorum; & prius vult ei quodcumque istorum, quam ipsum præuideat habiturum quodcumque istorum; igitur propter nullum istorum præuisum vult ei beatitudinem.] Scotus sequuntur & tulerunt Scotistæ cæteri, speciatim Bassolis dist. 41. q. n. a. 4. Tartaretus ead. dist. 41. q. vn. Lychetus ibidem. Franciscus de Mayronis ead. dist. 41. q. 4. Bargius dist. 12. q. 2. & dist. 41. q. vn.

Huc etiam spectat Durandus in 1. d. 41. q. 1. a. n. 6. [Sciendum est, inquit, quod inter electionem, & cæteros actus intellectus & voluntatis in Deo non est ordo prioris & posterioris secundum rem, sed tantum secundum rationem. &c. Et hunc debemus considerare ex reali ordine, quem habent actus tales in nobis, in quibus differunt secundum rem. &c. Actus autem voluntatis de fine præcedit (in nobis) actum intellectus practici, quo consiliatur de his, quæ sunt ad finem &c. Hunc autem actum intellectus practici sequitur electio, quæ est appetitus præconsiliati. &c. In Deo autem est similis ordo secundum rationem.] Vide totum locum inferius relatum dub. 10. Sane Durandus, nihil pro hac sententia apertius dicere potuisset; tamen quod prædestinationem solum ad media refert, non ad gloriam, iam superius q. 1. & 2. refutatum est.

Idem sentit Gregorius Ariminensis in 1. d. 41. q. 1. art. 1. vbi cum definiisset prædestinationem, quod sit propositum dandi vitam æternam, mox a. 2. conclusione 3. ait, [quod quemcumq; Deus prædestinavit, gratis tantum modò & misericorditer prædestinavit.] Et infra, in probatione primæ conclusionis, cum adduxisset autoritatem S. Augustini, siue Fulgentij de fide ad Petrum, c. 3. vbi ait: [Illi cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate sua prædestinavit ad regnum; quia enim eos tales prædestinatio præparauit, vt in regno Dei essent, præparauit vtique secundum propositum vocandos vt obediant; præparauit iustificandos, vt accepta gratia rectè credant, & bene viuant; præparauit & glorificandos, vt Christi coheredes effecti, regnum cælorum sine fine possideant; subiungit Ariminensis: Ex hac auctoritate patet manifestè, quod quia prædestinatio præparauit aliquos ad regnum æternum, id est, quia Deus proposuit, & suo proposito ordinauit

navit aliquos ad æternum regnum, ideo etiam præordinavit eos vocare & iustificare, &c.] Vbi apertè hic author docet, ordinationem ad æternum regnum in diuina mente priorem esse præordinationem vocationis & iustificationis, adeoque mediorum. Gregorij sententiam cæteris præfert etiam Petrus de Alliaco in 1. quæstione 12. articulo 2.

13 Similiter Marsilius in 1. quæstione 41. articulo 1. hanc ponit tertiam conclusionem: *Quod omnis prædestinatus est ex sola gratia prædestinatus, & misericordie dispositione diuina, non ex aliqua causa actuali vel priuatiua reperienda in eo cum uiuit.* Vbi initio articuli iam antea declarauerat, non esse intentionem eius articuli inuestigare, vtrum in prædestinato sit aliqua causa illius rei, quæ est prædestinatio, &c. sed intentionem articuli esse, inquirere, vtrum in prædestinato sit aliquid, quod est causa, propter quam Deus ab æterno prædestinavit ipsum, vel proposuerit ei dare gloriam & gratiam, &c. Nec vim facit hic author in utroque coniuncto, quod est prædestinatio gratiæ & gloriæ, sed promiscuè & indistinctè loquitur.

14 Sed & Gerson part. 3. operum libro 1. de consolat. Theolog. profa 3. eandem plane sententiam tradit, dum in persona Volucris ita loquitur: [*Quid si vult Deus in magna domo sua manifestare diuinitas gloriæ suæ, istis in ostensionem misericordie, alijs in manifestationem suæ iustitiæ, glorificans illos (NB. de glorificatione; non solum iustificatione sermonem esse) ex misericordia, istos ex iustitia derelinquens, quatenus resultat carmen illud pulcherrimum, ex graui tenore iustitiæ, & molli cantu misericordie, de quali proficitur Propheta, Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Quod si pauciores sunt, qui saluantur, manifestior est in hoc gratia Dei, quemadmodum inter surdos & claudos, mutos & mortuos, pauciores sunt qui miraenlo curantur, quam qui propriæ conditioni relinquuntur. Verum dum ad singularia fit descensus, & inquisitio, cur videlicet Petrum vel Paulum Deus elegerit ad salutem, Iudam vero, & diuitem epulonem dereliquerit, oportet vt humana garrulitas apponat digitum ori suo, hoc vnum profitens, quod iustus est Dominus in omnibus vijs suis, &c. Neque confugiendum est ad illorum merita vel opera, quos ab æterno prædestinat Deus, quia si ex operibus, iam non ex gratia, &c. Et infra profa 4. ait, quod ad beatitudinem pura liberalitate, & gratia Deus ab æterno quosdam prædestinat & eligit.] Ita Gerson; ex quo plura sub finem huius disputationis.*

15 Idem docet Capreolus in 1. dist. 41. articulo 1. conclus. 7. vbi ait. *Sola diuina voluntas est ratio, quod istos reprobet, & illos eligat, in gloriam.* Et citat pro eadem assertionem Sanctum Thomam 1. p. quæst. 23. artic. 5. ad 3. Si autem Deus ex meritis præuisis eligeret in gloriam, vtique merita præuisa essent ratio, quare hos, & non alios eligeret in gloriam.

Item Maior, non rectè à nonnullis pro opposita sententia citatus, in 1. dist. 40. quæstion. 2. ad probationem conclusionis primæ ait:] Præter-

rea ordinatè volens, prius vult finem, & postea media ad illum finem; Deus est agens ordinatum, beatitudo est finis creaturarum; Ergo Deus prius natura vult beatitudinem, & postea gratiam, si dem, bonum vsum, liberi arbitrij; Ergo quos Deus prædestinat, merè gratis prædestinat, &c.

16 Præterea Eckius in Chrysopasto, licet problematicè etiam secundam sententiam tanquam, vt ait, *magis piâ* tucatur; hæc tamen non obscure præferendam indicat. Quare centur. 2. num. 9. hanc ponit conclusionem. [Prædestinationis in communi non est aliqua ratio ex parte prædestinati, nisi voluntas diuina. Vnde quia Deus vult huic vitam æternam, ideo ipsum prædestinat. Et quia Iuda non vult vitam æternam, ideo eum reprobat. Et infra num. 58. vocat eandem opinionem celebrem & solennem; quam ego, inquit, isto pacto ex tot Doctorum officinis & suffragijs defendendam ac intelligendam existimo. Et mox iterum ait: eam ita rationibus validissimis, authoritatibus sacre Scripturæ efficacissimis fulcitam; ita adamantinis vinculis colligatam, vt temerarium cui videri posset, velle ad aliam opinionem, more transfuga, commigrare, nisi, &c.] Speciatim autem pro eadem sententia refert Eckius centur. 1. numer. 91. & cent. 2. à numero 10. inter alios etiam Magistrum, S. Thomam, Albertum, Richardum, Agidium Romanum, Petrum de Tarantasia (omnes Scoto antiquiores) Heruæum, Capreolum, Marsilium, Ioannem Gersonem, Petrum Alliaccensem, Clementem de terra falsa, Conradum Wimpinam, Sultonem, Adamum Goddam, Stephanum Brulefer, Franciscum Mayronis, Henricum Gorheim, Guilielmum Vorrilang, Petrum de Aquila, siue Scotorellum, Paulum Scriptoris, Franciscum Pium in Theorematis de fide, Iodocum Gartnerum, Alphonsum Toletanum, Paulum Cortesium, è quibus nonnullos nos etiam superius retulimus.

17 E recentioribus vero eandem sententiam tuerentur Driedo lib. de Concord. lib. arb. & prædest. 1. p. cap. 2. & 4. ad 1. argum. Ruardus art. 7. Palatius in 1. dist. 41. disp. 1. Alphonsum à Castro V. Prædestinatio, Corduba lib. 1. quæst. 56. opin. 5. & lib. 3. quæst. 14. Sotus in Recognit. ad 4. sent. & digressionem in cap. 9. ad Rom. quos refert etiam Vasquez d. 89. cap. 1. item Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 15. Henriquez de fine hom. cap. 11. num. 3. Suarez opusc. de auxili. 1.3. cap. 16. à num. 9. & hinc libro 1. de prædest. capite 8. à num. 32. Caietanus, Bannes, & Thomista recentiores hic quæst. 23. art. 4. Zumel art. 2. disp. 2. Cabrera in 3. p. q. 1. art. 3. d. 1. à num. 172. Item Pererius in cap. 8. ad Rom. disput. 12. 13. 22. Salmeron disput. 20. & 21. Guilielmus Estius in 1. dist. 41. Philippus Diez V. Prædestinatio, §. vlt. & Benedictus Iustinianus in cap. 9. ad Rom. Lorinus in 2. Pét. 1. v. 10. Quos omnes ex Italia, Hispania, Lusitania, Gallia, Germania, Belgio, eo consilio adduxi, vt manifestum fiat, quantum sit, non in opposita, sed in hac sententia, omnium pænè Doctorum consensus: vt bene etiam notauit Henriquez, qui & hos fere omnes, & plures alios pro eadem sententia adducit.

loco citato. Omitto Doctores magni nominis & doctrinæ, eos qui adhuc in viuis supersunt, & tum alibi, tum præcipuè Romæ in præcipuo totius Societatis Collegio, magno numero, & compluribus annis continua quasi ferie, non aliam de prædestinationis ordine doctrinam in publicis Scholis tradiderunt, vt testantur ij, qui proximis annis superioribus Romæ vixerunt, ac in eodem Collegio ibidem Theologiæ operam dederunt.

Illud denique addo, Cardinali Bellarmino, doctrina pariter & pietate admirabili viro, adeo infedisse hanc, quam retulimus sententiam, vt eam etiam moriens videatur contestatam facere voluisse. Ita enim de eo scribit R.P. Andreas Eudæmon Ioannes in suis, quas Anno 1621. Tusculo de obitu Bellarmini dederat literis: *Nec omisit in extremo spiritu profiteri eam fidem, & quæ ratione posset, orbis terrarum contestari, quam scriptis dum viveret, tam luculentis defenderat. Itaque cum ad expedienda alia quedam negotia aperire oculos, & nescio quæ dicere coactus esset, atque ego propius accessissem, vt eius me precibus abeuntis, pro veteri necessitudine, commendarem, prolixè pollicitus se facturum, mandauit, vt testarer literis, se per Dei misericordiam in Ecclesia Catholica, atq. in ea fide decedere, quam ad eam diem & sincere coluisset animo, & suis voluminibus defendisset, ac ne de diuinis quidem auxilijs (quo spectat prædestinationis eorumdem ratio) aliter morientem sentire, vel vnquam sensisse, quam in controuersiarum libris docuisset. Hactenus de cæteris plerisque Doctores actum.*

18 De S. Augustino, & S. Thoma controuersia est: licet enim communiter tertia sententia, præfertim ab antiquioribus Theologis, adscribantur, Electionem scilicet ad gloriam priorem esse prædestinationem & præuisionem meritorum, seu mediorum, sunt tamen nonnulli recentiores, primæ vel secundæ sententiæ authores, qui omnibus modis nituntur Augustinum in suam sententiam pertrahere: in quibus speciatim sunt Gregorius de Valentia hic quæst. 23. p. 4. §. 5. Vasquez disputatione 89. capite octauo, & alij post Stapletonum in peculiari quadam oratione de hære habita.

Sed mihi plane certum est, siue ex præiudicijs externis, siue ex proprijs eorum libris res diiudicanda sit, vtrumque docuisse prædestinationem ad gloriam ante præuisionem meritorum, vt de singulis nunc seorsim, sed breuiter ostendam. Quod igitur ad Sanctum Augustinum attinet, magnum vtique pro ea sententia præiudicium est, primò, quod Scholastici omnes eiusdem sententiæ authores, grauissimi & antiquissimi Theologi, in quibus ipsemet Sanctus Thomas, vt dicemus, item Albertus, Agidius, Scotus, Durandus, &c. quos antea magno numero recensui, S. Augustinum tanquam suæ sententiæ potissimum Patronum & Ducem citant, & sequi se profitentur, vt in primis etiam apud recentiores antea citatos videre est. Dicere autem, hos omnes Augustinum aut non legisse, aut non intellexisse, durum mihi videtur; nec verum.

19 Secundo etiam ex ijs, qui oppositam, nimirum secundam & tertiam sententiam sequuntur, auctoribus, nonnulli palam & ingenuè profitentur,

S. Augustinum suæ sententiæ aduersari: in quibus Catharinus opusc. de Prædest. Bartholomæus Camerarius in Dialog. cap. 5. Osorius libro 9. de Iustit. vt fatetur etiam Vasquez disputat. 98. capite 8. quibus adde auctorem reuelationum. B. Amadei, dub. sequenti referendum: cum tamen ex ijs, qui docent electionem ad gloriam ante præuisionem meritorum, ne vnus quidem ostendi possit, qui dixerit S. Augustinum in opposita esse sententia: certè præiudicium hoc à tanto numero testium, & ipsorum etiam aduersariorum non leui confessione petitum, magni est momenti.

20 Tertium præiudicium est, quod ita etiam S. Augustinum intellexisse videntur, non solum Prosper, & Hilarius, asseclæ & defensores S. Augustini, eidemque coæui, sed etiam ipsi Massilienses; qui propterea iisdem plane modis & argumentis Augustini sententiam, tanquam pietati parum, consonam, iustitiam & bonitati Dei aduersam, desperationis & desidiæ causam & altricem traducebant; aduersus quos etiam Augustinus non aliter se suamque sententiam defendebat, quam ad eum modum, quo nunc ipsi etiam contra auctores oppositæ sententiæ nostram sententiam tuemur, vt inferius dubio quarto & quinto patebit.

Quartum præiudicium est, quod eandem doctrinam apertè defenderunt illi, qui post Augustinum, aut simul cum ipso, Catholicam fidem, contra Pelagianos, eorumque reliquias defendunt, vt auctor hypognostici, Prosper, Fulgentius, & alij seq. dubio citandi.

21 Quinto his accedunt aperta testimonia S. Augustini pro eadem sententia. Primus locus est libro 5. contra Iulianum capite tertio, vbi ait: [Ipsi ergo electi, & hoc ante mundi constitutionem, ab eo, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam sint: sed electi per electionem gratiæ. Vnde dicit idem Doctor & de Israel; Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Et ne forte ante constitutionem mundi ex operibus præcognitis putarentur electi, secutus est & adiunxit; si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia. Ex isto numero electorum & prædestinatorum, etiam qui pessimam duxerunt vitam, per Dei benignitatem adducuntur ad pœnitentiam, per cuius patientiam, non sunt huic vitæ in ipsa scelerum perpetratiõne subtrahiti, vt ostendatur & ipsis, & alijs coheredibus eorum, de quam profundo malo possit Dei gratia liberare. Ex his nemo perit, quacunq. ætate moriatur. Absit enim, vt prædestinatus ad vitam, sine Sacramento Mediatoris finire permittatur hanc vitam.]

22 Audis ab Augustino electos dici electos electione gratiæ, hoc est, gratuita; item non ex operibus præcognitis electos. Et vero Sanctum Augustinum loqui non solum de electione ad gratiam congruam, vti respondere solet Vasquez disputatione octuagesima nona capite octauo, manifestè patet multis argumentis. I. Quia Sanctus Augustinus absolute loquitur de Electione, & Prædestinatione: nec ullo

verbu-

verbulo indicat, se restrictè de sola prædeterminatione ad gratiam loqui. II. Quia loquitur de electione, prout accipitur in illo Matth. 22. *Multi vocati, pauci verò electi*; quem locum paulò antea præmiserat: hic autem etiam de electione ad gloriam, & quidem potissimum sermonem esse, nemo negaverit. III. Quia accipit prædeterminationem, prout accipitur ab Apostolo ibidem citato Roman. 8. *Quos præsciuit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij eius*: hic autem non de sola prædeterminatione ad gratiam congruam sermo est; quia perfecta conformitas cum Christo non consistit solum in consecutione gratiæ, sed etiam gloriæ. IV. Loquitur de electione, de qua Apostolus Roman. 4. *Reliquia per electionem gratiæ salva facta sunt*: Non est autem hic sermo de sola electione ad gratiam, sed absolute; quia nemo absolute & simpliciter salvus est, nisi per gloriam. V. Denique expressè loquitur Augustinus de prædeterminatione ad vitam, quæ non permittit sine Sacramento Mediatoris finire hanc vitam. Prædeterminatio autem ad vitam simpliciter dicta, dicit prædeterminationem ad vitam æternam. Cæteræ repositiones, quibus nonnulli conantur hunc, & sequentes locos Augustini à se amoliri, inferius hoc dubio refellentur.

23 Secundus locus est apud eundem Augustinum, lib. de bono perseverant. cap. 8. vbi ait: [Ex duobus autem pijs, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inferutabilia sunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Nam si fuissent ex nobis, ait vnus prædestinatorum, qui de pectore Domini bibebat hoc secretum, mansissent utique nobiscum. Nonne vtrique à Deo creati, vtrique ex Adam nati, vtrique de terra facti erant, & ab eo qui dixit: Omnem statum ego feci, vnus eiusdemque naturæ animas acceperant? nonne postremò vtrique vocati fuerant, & vocantem secuti? vtrique ex impijs iustificati, & per lustrum regenerationis vtrique renouati? Sed si hoc audiret ille, qui sciebat proculdubio quòd dicebat, respondere posset & dicere. Vera sunt hæc, secundum hæc omnia ex nobis erant, verum tamen secundum aliam quandam discretionem non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Quam tandem est ista discretio? Patent libri Dei, non auertamus aspectum. Clamat Scriptura diuina, adhibeamus auditum. Non erant ex eis, quia non erant secundum propositum vocati: non erant in Christo electi ante constitutionem mundi: non erant in eo sortem consecuti, non erant prædestinati secundum propositum eius, qui vniversa operatur. Nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent.]

24 Quo loco expressè docet Augustinus, ex duobus æqualiter vocatis, æqualiter respondentibus & consentientibus, vnus perseverare, alterum non perseverare, quia hic, iuxta phrasin Apostoli, secundum aliam quandam discretionem non erat ex nobis: quæ est autem illa alia discretio, nisi æterna Dei prædeterminatio tam ad donum ipsam perseverantiam, quam ad vitam æternam? quid aliud, Non erat ex nobis, nisi, Non erat ex prædestinatis?

Quod ipsemet etiam S. Augustinus subsequenter verbis amplius declarat, cum ait: *Non erant secundum propositum vocati*: quòd propositum; nisi æternæ electionis & prædeterminationis ad finalem perseverantiam & vitam æternam? Item cum ait: *Non erant in Christo electi*; qua electione, nisi ad donum perseverantiæ & ipsam vitam æternam? Item cum ait: *Non erant in eo sortem consecuti*: quam sortem, nisi sortem diuinæ prædeterminationis, ex qua est peculiaris illa vocatio, prædestinatorum propria, de qua Apostolus Ephes. 1. vers. 11. *In quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*: & de qua sorte rursum Apostolus Coloss. 1. vers. 12. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine*. Rursum cum Augustinus ait: *Non erant prædestinati secundum propositum eius*, id est, non erant absolute loquendo prædestinati; etsi fuerint prædestinati ad aliquam gratiam congruam: prædestinatus autem absolute in Scripturis, & apud Augustinum non dicitur, nisi qui ad vitam æternam, seu finalem perseverantiam prædestinatus est: cæteri enim absolute non prædestinati, sed reprobi dicuntur. Denique cum ait Augustinus: *Nam si hoc essent, inquit, ex illis essent, & cum illis mansissent*: quod non potest, nisi iuxta prædeterminationem diuinam, non ad solam gratiam congruam, sed ad perseverantiam finalem, adeoque & ad ipsam vitam æternam accipi. Nam si alijs quibuscunque modis essent ex eis, illo tantum modo non essent, non ideo ex illis essent, & cum illis mansissent.

25 Cum ergò S. Augustinus his verbis, toties & tot modis, causam cur ex illis duobus alter perseveret, alter non perseveret, seu, quòd idem est, cur vnus finaliter cooperetur, alter non; referat in diuinam illam discretionem, in diuinum illud propositum, in diuinam sortem, in æternam Dei electionem, in prædeterminationem, quæ omnia vnus & idem significant; nec vel vnico verbulo hanc prædeterminationem vel electionem restringat ad solam primam gratiam congruam, imò iuxta circumstantias loci ex causis dictis, restringi non possit, clarum videtur, iuxta mentem & sententiam Augustini prædeterminationem ad donum perseverantiæ, atque adeo ad ipsam etiam vitam æternam, antecedere ratione determinationem humanæ voluntatis, & cooperationem ipsam finalem, quæ homo perseverat. Frustra enim & præposterè alias in diuinam prædeterminationem causâ referretur, si ea nostra determinatione & cooperatione posterior esset; aut ad eam solum concomitanter se haberet: perinde enim esset tunc, ac si quis diceret, istos non perseverare, quia Deus scientia absoluta non prævidit cooperaturos; aut quia isti non erant accepturi remunerationem: quo sane modo nemo congruè loqueretur, non ob aliam causam, nisi quia præscientia & remuneratione illa sequuntur perseverantiam. Quod si prædeterminatio ad perseverantiam finalem antecedat ipsam cooperationem finalem; ergo & prædeterminatio ad gloriam eandem antecedat: tum quia par est vtriusque proportio: tum quia perseverantia finalis absolute & secundum se prædestinari non potuit,

nisi ex efficaci voluntate & intentione conferendæ gloriæ.

26 Obijcitur. Si in solam voluntatem Dei ratio discriminis referenda esset, tunc rationem eius rei non fore occultam; quia hanc ipsam facile esset & assignare, & intelligere. Quomodo etiam Bonauentura in 1. distinct. 41. artic. 1. quæst. 2. ait: *Si non esset alia ratio, quare Deus istum elegit, & illum non, nisi quia placet, certe iam non occulta dicerentur diuina iudicia, sed manifesta; cum quilibet hanc rationem capiat; nec dicerentur mirabilia, sed potius uoluntaria.* Non est ergo illamens Augustini.

Respondeo uerba Augustini esse perspicua. Ad obiectionem respondetur, eam non solum impugnare gratuitam electionem ad gloriam, sed etiam ad primam gratiam congruam, electorum propriam; cuius tamen nullam aliam posse assignari rationem certum est, ex quæst. 4. dub. 3. & 4. Dicuntur ergo hæc iudicia Dei occulta & admirabilia hoc ipso, quod nulla eorum potest assignari ratio alia, præter uoluntatem Dei operantis: quæ, loquendo de speciali ratione, non tam est ratio, quam rationis exclusio. Quod itidem ad S. Bonauenturam respondetur: præsertim cum is hac in re, dum etiam huius complexi, quare Deus hunc potius elegerit, quàm illum, ratione aliam assignari posse insinuat, à communi & recepta Doctorum sententia recedat, ut dictum quæst. 4. dub. 1.

27 Tertius locus est eiusdem S. Augustini lib. de corrept. & grat. cap. 7. ubi ait: [Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista diuinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuratur eis audiendum Euangelium, & cum audiunt credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant: & si quando exorbitant, correpti emendantur, & quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in uiam, quam reliquerint, redeunt, & nonnulli accepta gratia in qualibet ætate, periculis huius uitæ mortis celeritate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui uasam misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in filio suo ante constitutionem mundi, per electionem gratiæ. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Non enim sic sunt uocati, ut non essent electi, propter quod dictum est, Multi sunt uocati, pauci uero electi: sed quoniam secundum propositum uocati sunt, profecto electi sunt per electionem, ut dictum est, gratiæ non præcedentium meritorum suorum; quia gratia est illis omne meritum.]

28 De talibus dicit Apostolus, Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum uocati sunt: quoniam quos ante præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus; quos autem prædestinauit, illos & uocauit, quos autem uocauit, ipsos & iustificauit, quos autem iustificauit, ipsos & glorificauit. Ex istis nullus perit, quia electi sunt omnes. Electi sunt autem, quia secundum propositum uocati sunt; propositum autem non suum, sed Dei, De quo alibi dicit, ut secundum electionem propositum Dei maneret, & non ex operibus, sed ex uocante dictum est ei, quia maior seruiet minori: & alibi, Non secun-

dum opera nostra, inquit, sed secundum suum propositum & gratiam.

29 Cum ergo audimus, Quos autem prædestinauit, illos & uocauit, secundum propositum uocatos debemus agnoscere, quoniam inde cœpit, dicens: Omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum uocati sunt; ac deinde subiunxit, Quoniam quos ante præsciuit, & prædestinauit conformes imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Atque his præmissis subdidit, Quos autem prædestinauit, illos & uocauit, eos itaque uult intelligi, quos secundum propositum uocauit, ne putentur in eis esse aliqui uocati & non electi, propter illam dominicam sententiam, Multi uocati, pauci electi. Quicumque enim electi, sine dubio etiam uocati: non autem quicumque uocati, consequenter electi. Illi ergo electi, ut sæpe dictum est, qui secundum propositum uocati, qui etiam prædestinati atque præsciti. Horum si quispiam perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus: horum si quispiam perit, uitio humano vincitur Deus; sed nemo eorum perit, quia nulla re uincitur Deus.

Electi autem sunt ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Iudas ad opus, cui congruebat. Ab illo quippe electus est, qui nouit bene uicium malis, ut & per opus eius damnabile, illud propter quod ipse uenerat, opus uenerabile completur. Cum itaque audimus, Nonne ego uos duodecim elegi, & unus ex uobis diabolus est, illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per iudicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem suum.]

30 Et infra: [Qui uero perseveraturi non sunt, ac sic a fide Christiana & conuersatione lapsuri sunt, ut tales eos uitæ huius finis inueniat, procul dubio nec illo tempore, quo bene pie que uiuunt, in isto numero computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, & ideo nec secundum propositum uocati, ac per hoc nec electi; sed in eis uocati, de quibus dictum est, Multi uocati, & non eis, de quibus dictum est, pauci uero electi. Et tamen quis neget eos electos, cum credunt & baptizantur, & secundum Deum uiuunt? &c.] In quo posteriori loco uim habet, quod rursum Augustinus causam, cur aliqui non sint computandi in numero eorum, qui perseverant, reddit, quia non sunt à massa illa perditionis præscientia & prædestinatione Dei discreti; non secundum propositum uocati; ac per hoc nec electi: nimirum simpliciter etiam ad uitam æternam; licet sint electi ad fidem, ad baptismum, & uitam pie aliquamdiu actam, ut ibidem subditur: Ergo iuxta Augustinum præscientia (practica) prædestinatio, & electio Dei (ut hoc loco de uocatione secundum propositum nihil dicam, de quo dub. 1. actum est) præcedit cooperationem nostram, ut præcedenti loco argumentati sumus.]

31 Prior autem locus hac ratione ad propositum facit, quia disertè illic docet, ac sæpius repetit Augustinus, saluandos eligi à Deo per electionem gratiæ, seu gratuitam, non ex operibus, seu præcedentibus meritis suis. Loqui uero Augustinum de electione etiam ad gloriâ, patet multis argumentis. I. Quia sæpius absolutè istos uocat electos, præscitos, prædestinatos. II. Quia dicit eos prædestinatos esse cõformes

fieri imaginis filij sui, quod perfectè solum fit in gloria, vt superius dictum, III. Quia docet istam electionem (per seipsam vtique, & non tantum per scientiam mediam, de qua nullam hic mentionem habet Augustinus) secum infallibiliter trahere gloriam & salutem æternam. IV. Quia apertissimis verbis, iisdemque repetitis ait, eos electos *ad regnandum cum Christo, & ad obinendum regnum suum*: loquitur ergo Augustinus præcipue de electione ad gloriam: quæ proinde iuxta Augustinum gratuita est, & non ex præiis meritis. Denique verbis illis, *Ex istis nullus perit, quia electi sunt omnes*, apertè rursum indicat Augustinus, electionem esse causam & rationem, cur nullus pereat; sentit ergo electionem priorem esse nostra cooperatione & perseverantia, vt superius dictum.

32 Hi tres loci, vt alios, & quod maximi momenti est, perpetuam in Augustino symmetriam nostræ huic sententiæ consonam, vt ex dub. 4 & 5. patebit, hoc loco præteream, meo quidem iudicio sufficienter & apertè demonstrant, iuxta Augustini sententiam, prædestinationem ad gloriam priorem esse meritorum præuisione, ac etiam futuritione: quicquid Vasquez disputatione 89. cap. 7. numero 49. sanè hyperbolice dixerit, S. Augustinum *nuquam id velle in insinuisse*. Id verò, quod diximus, clarius fiet, si paucis ad opposita testimonia, quæ ex Augustino obijciuntur, responderimus, & simul responsa, quibus nonnulli adducta à nobis testimonia enervare conantur, refutauerimus: qua in re satis ferè erit Vasquo respondere cit. disput. 89. cap. 6. 7. & 8. quem nunc ceteri recentiores potissimum sequuntur.

33 Primò igitur obijcitur locus Augustini ex lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. cum ait: [Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio; id est, non quia inuenit Deus bona opera in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum iustificationis, sed quia illud manet, vt iustificet credentes, ideo inuenit opera, quæ iam eligat. ad regnum cælorum: nam si non esset electio, non essent electi: nec rectè diceretur, Quis acculabit aduersus electos Dei? Non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio. Nemo enim eligitur nisi iam distans ab illo, qui rejicitur: vnde quod dictum est, Elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientia. Hic autem quod ait, Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, &c. non electione meritorum, quæ post iustificationem gratia proueniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur.] Vbi vim habet, quod Deus dicitur inuenire opera, quæ eligat ad regnum cælorum; quodque electio iustificationem præcedere dicitur.

34 Respondeo, in Deo duplicem esse voluntatem. efficacem conferendi gratiam, vel gloriam, vni præ alijs; qualem nomine electionis generatim, etsi minus propriè hoc loco intelligit Augustinus: vnam spectantem ad ordinem intentionis, alteram ad ordinem executionis, vt generatim dictum disputatione 2. quæstione 10. dub. 5. & suprâ hac quæstione dubio 2. Ex quibus S. Augustinus hoc loco so-

lum loquitur de posteriori; non de priori; eo quod hic supponat, non posse esse electionem inter æquales, vt iam antea expressè etiam docuerat in expositione quarundam præposit. epistol. ad Roman. cap. 60. & hoc loco rursum repetit, *neminem eligi, nisi iam distantem ab illo, qui rejicitur*. Quod admodum quidem loquendi solum pertinet, sed ab ipso Augustino sæpius postea aliter dictum fuit; ita vt Dei electionem etiam inter æquales constitueret; eaque non inueniret, sed faceret dignos, vt fatetur etiam Vasquez citata disputatione 89. cap. 6. numero 47. ordinem autem illum Executionis non solum in re ipsa, sed etiam in mente artificis, eiusque actibus internis necessariò, in omni bona philosophia & Theologia, admittendum esse contra Vasquium hic capite 7. numero 53. efficaciter demonstrauius locis antea citatis, ex quibus etiam facile patet responsio ad ea, quæ in contrarium obijcit Vasquez.

35 Sed & præter hanc voluntatem conferendi gloriam ex præiis meritis, ab Augustino agnosci aliam priorem ratione, absque præiis meritis, ex ipso Augustino luculenter antea testatum fecimus, vt proinde immeritò nonnulli recentiores cum Vasquo loco citato, numero 52. eam distinctionem & Augustino non consonam, & tantum ad eludendum excogitatas asserant: cum, vt citatis locis ostensum, firmissimis certissimisque fundamentis nitatur, nec vel probabili etiam ratione negari possit: & præter ea, quæ ante retulimus, colligatur etiam ex Augustino sermone 7. de verbis Domini secundum Matthæum, cum ait: *Elegit autem Deus, sicut inquit Apostolus, & secundum suam gratiam, & secundum illorum iustitiam*. Vbi indistinctè loquitur de Electione ex parte termini; ita vt sensus esse videatur, Elegit Deus ad gloriam & secundum gratiam; loquendo de prima & proprie dicta electione; & secundum illorum iustitiam, loquendo de electione seu voluntate executiua, licet hæc minus proprie dicatur electio.

36 Atque hac ratione omnia optimè concordant & consonant; nimirum 1. Electionem hac ratione, posteriorem esse proposito diuinæ prædestinationis, non solum ad gratiam sanctificantem, de qua ibidem expressè loquitur Augustinus; sed etiam ad gloriam, quam non excludit. 2. Item non efficere, sed supponere bona opera, seu præuisionem bonorum operum, quæ aliunde ex ipso proposito diuinæ prædestinationis oriuntur. 3. Electionem hanc non esse priorem iustificatione, seu iustificationis decreto, sed hoc potius esse prius ea electione. 4. Illud Apostoli, *Elegit nos Deus ante mundi constitutionem*, iuxta acceptionem quidem huius Electionis, non posse intelligi nisi supposita præscientia dignitatis seu iustitiæ. 5. Illud autem, *Non ex operibus, sed ex vocante, &c.* intelligi non de hac electione, sed liberali proposito & prædestinatione Dei. Quæ cum ita sint, negari tamen minime potest, S. Augustinum in alijs libris posterioribus, quos multo post tempore de materia diuinæ prædestinationis perscripsit, longè aliter de electione diuinâ fuisse locutum, vt nempe idem sit, quod diuinæ prædestinationis, seu propositum; quod non supponat, sed faciat dignos. Quo modo Augustinus episto-

la 105. vocat electionem, qua eligendos facit ipse, non inuenit. Et in eundem sensum epistola 106. docet hanc electionem diuinam non supponere disparitatem in electis, sed facere, vt antea etiam ex Vasquio dictum.

37 Obijcitur secundò à Vasquio disput. 89. cap. 9. numero 76. Augustinus lib. de prædestinatione Dei, cap. 3. vbi ait: *Ex præscientia igitur offensionis, vltionem iustus iudex prædestinavit: sicut ex præscientia virtutum prædestinatio solet fieri remunerationis.*

Respondeo, hunc librum non esse Augustini, vt restè cum Louanienfibus censet Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Ex vtroque verò hoc loco (in quibus Vasquez potissimum vim facit) animaduerrere est, quàm parum opposita sententia ex Augustino probari possit: quando pro ea non adferuntur nisi paucula quædam, vel ex antiquioribus Augustini scriptis, in quibus si non rem ipsam, modum tamen loquendi commendauit Augustinus; velex Apocrypho, non Augustini, sed incogniti authoris libro: cum nostra testimonia ex probatissimis nouissimisque Augustini libris deprompta sint.

38 Obijcit quidem sibi Suarez lib. 3. de auxili. cap. 16. numero 5. alia etiam quædam Augustini testimonia, ad quæ respondere conatur cap. 18. numero 6. sed quæ in omni sententia diluenda sunt; cum non tam Electionis ad gloriam, quàm etiam ad gratiam, rationem ex nostris operibus assignare videantur: vt cum sermon. 7. de verbis Domini ait: *Ego illos elegi (ad constantem fidem) quia vidi mentes eorum de me præsumentes, non de se.* Quod itidem de electione, executiua intelligendum videtur. Illud de prædestinat. Sanct. cap. 19. *Cum ergo Deus nos prædestinavit, opus suum præsciuit, quod nos sanctos & immaculatos faceret; non de præscientia absolutâ, sed simplicis intelligentiæ, seu mediæ, intelligendum est, de qua sæpe eodem toto lib. à cap. 10. mentionem facit. Item, sermon. 233. cum ait: *Multis scire volunt, quare illum ad se vocat Dominus, & illum non vocat; vni subuenit, & vni non; hunc dignum habet, & illum indignum: istum honorat, & illum cruciat & affligit. Audi, o homo. Hunc dignum habet pro bonis operibus suis; illum habet indignum pro operibus suis malis: loquitur de dignitate, saltem congruitatis ad vberiora gratiæ dona accipienda. Denique aliquando Deum in prædestinatione eligere fidem & merita seu opera, dicit Augustinus; non quia eos propter merita aut fidem elegerit, sed quia eos elegerit ad fidem & merita. Quo sensu Augustinus lib. de prædestinat. Sanct. cap. 17. ait: *Elegit Deus fideles, sed vt sint, non qui iam erant.* Et rursum: *Restè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod vt in eis faciat eos elegit.* Reliqua ipsis locis bene inspectis, non habent difficultatem.**

39 Præter citata testimonia Augustini, in super adnervanda testimonia, ex Augustino pro gratuita prædestinatione allata, obijcitur tertio, S. Augustino nullam fuisse controuersiam cum Pelagianis, aut Semipelagianis de prædestinatione ad gloriam, sed solum ad gratiam, quam ille gratuitam, isti autem ex meritis seu operibus factam esse docuerunt. Vt autem ostenderet Augustinus, gratiam seu in tempore sine meritis dari, seu ab æterno gratis itidem decerni & prædestinari, parum referebat, quod

Deus gloriam ante omnia merita, tanquam finem dare decreuisset: Ergo non est existimandum, Augustinum docuisse, prædestinationem ad gloriam ante præuisa merita. Exponit, & vrget hoc argumentum Vasquius multis disp. 89. cap. 4. & 8. præsertim à num. 60.

40 Respondeo primum, hoc argumentum repugnare ipsis obijcentibus. Nam si ex eo, quod Augustino cum Pelagianis nulla erat controuersia de prædestinatione ad gloriam, inferri potest, Augustinum de prædestinatione ad gloriam ante præuisa merita nihil docuisse, licebit pariter, imò maiori ratione inferre, eundem nihil occasione quidem eius controuersie docuisse, de prædestinatione ad gloriam ex præuisis meritis: quia ad intentum illud Augustini gratiam sine meritis suis se prædestinatam, multo minus referebat, quod DEVS gloriam post præuisa merita prædestinasset.

Respondeo secundò, negari posse & antecedens, & consequentiam. Illud quidem, quia Augustinus ipse lib. 2. de bono perseuerant. cap. 16. aliud testatur, cum ait: *A Pelagianorum porro hæretica perseuerantia tantum isti remoti sunt (Massilienses) propter quos hæc agimus, vt licet nondum velint fieri prædestinatos esse, qui per Dei gratiam fiant obedientes atque permanent, iam tamen fateantur, quod eorum præueniat voluntatem, quibus datur hæc gratia, &c.* Vbi vides, non tantum de prædestinatione ad primam gratiam congruam, sed etiam ad perseuerantiam, adeoque vitæ æternæ consecutionem, cum Massiliensibus fuisse controuersiam.

41 Consequentiæ verò nulla est. Tum quia passim videmus & experimur, etiam hodie, ratione controuersiarum, quæ nobis cum hæreticis intercedunt, sæpe à Catholicis Doctoribus progressum fieri ad eas etiam difficultates & dogmata enodanda, quæ ad controuersiam quidem ipsam & rem totam vberius declarandam non parum faciunt, attamen propriè ac per se in controuersia non versantur, neque etiam vlla ex parte fidem attingunt. Verbi gratia. Controuersia est cum Sectarijs, an definitio Pontificis vnâ cum Concilio generali sit infallibilis; sed ea occasione sæpius etiam simul explicandum est, an solus per se Pontifex infallibiliter definiat, &c. Tum quia etsi de ea re propriè cum Pelagianis non esset controuersia, tamen ipsi Pelagiani ac Semipelagiani satis clarè diuersam in ea re ab Augustino sententiam sequebantur, & velut antiquis etiam Patribus probatam obiecerunt vt sequenti dubio dicemus, quicquid in contrarium obtendat Vasquez capite 8. numero 62.

42 Denique quia res ipsa hanc quasi tacitam consequentiam aduersus Augustinum Semipelagianis videbatur suggerere: Si prædestinatio ad gratiam facta est ante præuisa merita; cur non & prædestinatio ad gloriam, cuius, veluti finis, intentionem supponere videbatur prædestinatione ad gratiam: necesse profecto erat, vt de ea re suam Augustinus sententiam non dissimularet, sed disertè explicaret. Quod si contrarium de gloriæ prædestinatione sensisset, oportebat sanè quam clarissimè, maximè in

libris,

libris, quos postremo contra Semipelagianos Augustinus scripsit, discrimen illud explicasse: ut inuidiam & odium plurimorum Catholicorum, qui Semipelagianorum errore tenebantur, & Augustino alioqui grauius aduersabantur, aliqua saltem ex parte mitigaret.

43 Obijcitur quartò, causam, cur multi authores decepti sint in Augustini sententia, pro gratuita prædestinatione ad gloriam adducenda, esse, tum quia electionem ad vitam æternam cum prædestinatione confundebant; cum hæc sit præparatio solum gratiæ, illa gloriæ; tum quia putabant Græcos Patres in hac re Augustino contraria docuisse; cum tamen reuera Patres Græci & Massilienses, qui eorum testimonio nitentur, id contra Augustinum impugnare nunquam somnariunt; de gratia tantum solliciti, &c. Ita Vasquez disputat 89. cap. 8. à numero 58.

Respondeo, hos esse prætextus, non veras causas. Primum quidem, quia Augustinus pro hac sententia relatus, non solo nomine prædestinationis, sed etiam Electionis, propositi, diuinæ fortis, & discretionis, &c. vitur, ut videre est in citatis testimonijs. Deinde falsum est, prædestinationem esse solum gratiæ, non etiam gloriæ, ut superius quæst. 1. & 2. contra Vasquium ostendimus; qui potius ipse hac in re deceptus videtur. Tertio quia mens Augustini non ex ea solum obiectione Græcorum Patrum, sed ex ipsis etiam verbis eiusdem aperte colligitur. Quartò quia verissimum est, Massilienses in ea re oppositum etiam contra Augustinum docuisse, & pro eadem quoque sententia Græcos Patres adduxisse; ut dubio sequenti dicitur; & verò gratiæ & gloriæ prædestinationem habere inter se non exiguam affinitatem, iam superius diximus obieci. præced.

44 Obijcitur quintò, Augustinum, cum docet, prædestinationem siue electionem ad gloriam ante præuisionem meritorum factam, intelligendum vel de sola prædestinatione ad gratiam; vel de præuisione meritorum, quæ ex viribus naturæ fiant, de his enim solis cum Pelagianis & Semipelagianis fuisse controuersiam, &c. vel certè de prædestinatione ad gratiam simul & gloriam.

Respondeo; primam explicationem Augustini minimè consonam esse, patet ex adductis testimonijs, eorumque singulorum expositione: nam & verba generalia sunt, & Augustinus non semel expressè etiam meminit electionis ad regnum celorum, ut dictum. Et certè si ita quasi pro arbitratu liceret restringere eius generis sententias, deferere vix possemus, in ipsa etiam Scriptura, nedum in Augustino, mentionem fieri electionis ad gloriam, cum tamen hæc utique ratione termini sit principalior, de qua in primis etiam docere oportebat.

45 Secunda verò responsio verbis & menti Augustini multò minus satisfacit: non solum quia Augustinus absolutè excludit opera & merita, prædestinationem antecedentia; sed etiam quia nonnunquam Augustinus generatim loquitur de prædestinatione tum ad gloriam, tum ad gratiam congruam, imò gratuitam prædestinationem ad gratiam illam, sapius & acrius vrget contra Pelagia-

nos, quam ad gloriam: constat autem prædestinationem ad primam gratiam congruam factam esse absque omni præuisione omnium meritorum, ut dictum quæstione præcedent. dub. 2. 3. & 5. Accedit quod Augustinus etiam alijs verbis, quam quibus de meritorum seu operum præuisione loquitur, gratuitam eiusmodi prædestinationem ad gloriam docet, ut præcipue in secundo testimonio superius adducto videre est. Planè autem falsum est, cum Semipelagianis nullam fuisse controuersiam de operibus ex gratia factis; aut hæc de re non potuisse esse controuersiam, nisi fortè cum Patribus, quando diserte S. Augustinus, inter alia, etiam hanc Semipelagianorum sententiam refellit, cum dicerent, ob præuisionem bonam aut malam operationem liberi arbitrij, concessam aut negatam à Deo fuisse gratiam congruam, ut dictum quæst. 4. dub. 3.

46 Tertia responsio est pro nobis: nam si Augustinus, quando de gratuita prædestinatione agit, loquitur de prædestinatione tam ad gratiam, quam ad gloriam: Ergo gloria etiam ipsa iuxta S. Augustinum gratis, adeoque ante præuisionem meritorum est prædestinata. Certè si alterum tantum gratis, alterum verò ex meritis fuit prædestinatum, non rectè dici potuit ab Augustino, utrumque gratis, & ante præuisionem meritorum fuisse prædestinatum: præterquam quod Augustinus distinctè nonnunquam agit de prædestinatione ad regnum celorum, ut vidimus. Hactenus de Augustino.

Quod verò ad S. Thomam attinet, multò adhuc euidentiùs est, eum constanter prædestinationem ad gloriam, absque præuisione meritis factam, docuisse. Primum quidem, quia omnes discipuli & Interpretes S. Thomæ, imò & cæteri Theologi, vix paucis recentioribus exceptis, ita S. Thomam hactenus intellexerunt: quod non est leue hæc in re præiudicium; vbi de sola mente veteris ac celebris, & toties lecti atque relecti Scriptoris & authoris agitur. Certè Vasquius ipse, licet utcumque ad S. Thomam pro ea sententia obiectum respondere conetur, ut dicemus, nunquam tamen ausus fuit, eum pro sua sententia constanter & absolute allegare, ut nec ex Scriptoribus fere, quod sciam, quisquam alius.

47 Secundò quia extant apud S. Thomam huius rei complura, nec obscura testimonia; quæ paucis referam. Primum testimonium est in 1. p. quæst. 23. artic. 4. in corp. vbi hæc S. Thomas: [Respondeo dicendum, quod prædestinatio secundum rationem, præsupponit electionem, & electio dilectionem. Cuius ratio est; quia prædestinatio est pars prouidentia; prouidentia autem, sicut & prudentia, est ratio in intellectu existens, præceptiua ordinationis aliorum in finem. Non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis. Vnde prædestinatio aliorum in salutem æternam, præsupponit secundum rationem, quod Deus illorum velit salutem; ad quod pertinet electio & dilectio: Dilectio quidem, in quantum vult eis hoc bonum salutis æternæ; nam diligere est alicui velle bonum: electio autem, in quantum hoc bonum aliquibus præ alijs vult, cum

quosdam reprobet, &c.] Et ibidem resp. ad 1. de eadem electione loquens: *Et sic, inquit, in collatione gratiæ & gloriæ attenditur electio.*

48

In quibus verbis S. Thomas aperte docet, prædestinationem ad salutem æternam, quæ saltem præcipue consistit in ordinatione mediolorum, quibus vnusquisque saluandus perducitur ad beatitudinem, posteriorem esse tum dilectione, tum electione ad idem bonum salutis æternæ; nec dubium, S. Thomam loqui de dilectione, & electione, seu voluntate efficaci, qua Deus illorum velit salutem; quandoquidem, inquit S. Thomas, Deus ea voluntate, *id bonum vult aliquibus præ alijs*: quod non nisi de voluntate efficaci intelligi potest: præterquam quod ipsum Electionis vocabulum voluntatem efficacem significat. Euidens est ergo, ex mente S. Thomæ, Electionem ad salutem æternam in mente diuina, secundum rationem nostram, priorem esse ordinationem seu prædestinationem mediolorum seu meritiorum.

Respondet Vasquez disputatione 89. cap. 12. numero IIII. nomine salutis æternæ, hoc loco S. Thomæ, non opus esse, vt intelligamus beatitudinem alterius vitæ; sed intelligere possumus iustificationem & perseverantiam in gratia, ad quam Deus elegerit quosdam præ alijs, & ad hunc finem præparauerit singula auxilia per prædestinationem.

49

Verum respondeo, id gratis dictum esse. Primò enim ipsa verba, *salutis æternæ*, non aliquam huius vitæ, sed alterius vitæ salutem significant, quæ sola æterna est. Deinde ipsemet S. Thomas resp. ad 1. explicans, quid per salutem æternam, seu per Electionem intelligat, quam priorem esse prædestinationem in corpore docuerat, refert eam ad *gratiæ & gloriæ*. Tertio loquitur de salute æterna, quæ per modum finis sit intenta; qualis est gloria. Denique res in idem redit, etiam si dicamus, S. Thomam per salutem æternam intellexisse iustificationem & perseverantiam in gratia. Tum quia inde sequitur, ipsam saltem perseverantiam ante præuisionem mediolorum & meritiorum, adeoque etiam nec præuiso consensu nostro, fuisse à Deo efficaciter volitam & prædefinitam; eadem est autem ratio prædestinationis ad gloriam; ceterè ipse etiam Vasquius agnoscit, non esse maiorem de illa, quam de ista difficultatem: quare nec ad illam admittit, Deum elegisse quenquam, non præuiso consensu nostro, seu ante præuisionem mediolorum; quod est planè negare doctrinam S. Thomæ. Tum quia absoluta & efficax voluntas perseverantiæ finalis non potest non procedere ex efficaci intentione gloriæ: sicut efficax electio vnus medijs efficaci ad finem ex efficaci intentione, finis procedit, vt dubio sequenti pluribus dicitur. Est ergo locus hic S. Thomæ firmus pro hac sententia, qui etiam ab alijs communiter pro hac sententia rectè allegatur.

50

Quo magis mirere, inueniri potuisse aliquem, qui cum & S. Thomam loco citat. & plures ex veteribus Scholasticis, speciatim Albertum, Vdalricum, Alensem, Bonauenturam, Antiodorensem, ex Dionysio Carthusiano d. 4. r. quæst. 2. de prædestinatione idem, quod nunc ex S. Thoma relatum, asserentes allegasset, subiungit hoc quasi corollarium: *Ex*

qua tam communi doctrina sequitur, absolutum decretum dandi gloriam non præuisis meritis nouum ac totidem authoribus aduersarium esse: cum hæc antiquissima Theologorum sententia cum ipsa Theologia nata sit, nec clarius quodammodo asseri possit, quam dum electio ad gloriam, prior asseritur, prædestinatione mediolorum, in quibus vtique sunt etiam merita.

Secundus locus S. Thomæ est eadem quæstione 23. artic. 7. quæ ita habet: [Oportet dicere, quod numerus prædestinatorum sit certus Deo, non solum formaliter, sed etiam materialiter. Sed aduertendum est, quod numerus prædestinatorum certus Deo dicitur, non solum ratione cognitionis, quia scilicet scit, quot sunt saluandi (sic enim certus est Deo etiam numerus guttarum pluuiæ & arenæ maris) sed ratione electionis & definitionis cuiusdam. Ad cuius euidentiam est sciendum, quod omne agens intendit facere aliquid finitum, Quicumque autem intendit aliquam determinatam mensuram in suo effectu, excogitat aliquem numerum in partibus essentialibus eius, quæ per se requiruntur ad perfectionem totius. Non enim per se eligit aliquem numerum in his, quæ non principaliter requiruntur, sed solum propter aliud; sed in tanto numero accipit huiusmodi, in quantum sunt necessaria propter aliud. Sicut ædificator excogitat determinatam mensuram domus, & etiam determinatum numerum mansionum, quas vult facere in domo, & determinatum numerum mensurarum parietis vel tecti; non autem eligit determinatum numerum lapidum, sed accipit tot, quot sufficiunt ad explendam tantam mensuram parietis.

Sic igitur considerandum est in Deo, respectu totius vniuersitatis, quæ est eius effectus. Præordinauit enim, in qua mensura deberet esse totum vniuersum, & quis numerus esset conueniens essentialibus partibus vniuersi, quæ scilicet habent aliquo modo ordinem ad perpetuitatem, quot scilicet sphaera, quot stella, quot elementa, quot species rerum. Individua verò corruptibilia non ordinantur ad bonum vniuersi quasi principaliter, sed quasi secundario, in quantum in eis saluatur bonum speciei. Vnde licet Deus sciat numerum omnium individuorum; non tamen numerus vel bonum, vel culicum, vel aliorum huiusmodi est per se præordinatus à Deo: sed tot huiusmodi diuina prouidentia producit, quot sufficiunt ad specierum conseruationem.

Inter omnes autem creaturas principaliter ordinantur ad bonum vniuersi creaturæ rationales, quæ in quantum huiusmodi, incorruptibiles sunt, & potissimè illæ, quæ beatitudinem consequuntur, quæ immediatius attingunt vltimum finem. Vnde certus est Deo numerus prædestinatorum, non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum cuiusdam principalis præfinitionis. Non sic autem omnino est de numero reproborum; qui videntur esse à Deo præordinati in bonum electorum, quibus omnia cooperantur in bonum.]

Ex quo loco multis modis colligitur ea sententia

S. Tho.

S. Thomæ. I. quia dicit, Deum per se intendere certum numerum prædestinatorum (tam ad gloriam, scilicet, quam ad gratiam, quia iuxta S. Thomam in 1. d. 4. t. q. 1. a. 2. & hic q. 2. a. 4. ad 1. prædestinatio attenditur in hoc, quod electi præparantur bona gratia, & bona gloria) non solum formaliter, sed etiam materialiter, ac in indiuiduo ad has vel illas personas particulatim definitum; eo modo, quo Architectus v. g. per se præfinit & determinat certum ac definitum numerum mansionum: hæc autem definitio artificis non est ex præuisione mediorum. II. Item eo modo, quo Deus præordinauit mensuram totius vniuersi, partiumque eius essentialium; quæ certè per se ipsum Deus præfinit, ante præuisionem mediorum. III. Non autem eo solum modo, quo Deus præfinit numerum bonum, culicum, & arenarum maris; hic enim non est per se, inquit, præordinatus à Deo: sed, quasi dicat, solum post præuisionem causarum & mediorum. IV. Nec eo solum modo, quo certus & determinatus est Deo numerus reprobatorum, qui tamen vti que etiam post præuisionem mediorum & demeritorum Deo certus est. V. Sed certus est, inquit, Deo numerus prædestinatorum, etiam per modum cuiusdam principis præfinitionis. Quæ autem est illa principalis præfinitio, nisi quæ fit ante præuisionem meritorum & mediorum; seu quam Deus ipse per se facit, absque præuisione mediorum & meritorum? Sunt ergo ex mente S. Thomæ hi ipsi, & non alii, tanto numero, & non alio, tam homines, quam Angeli, à Deo antecedente præfinitione præordinati seu prædestinati tam ad gratiam, quam ad vitam æternam. Quid clarius?

54 Tertius locus est eiusdem S. Thomæ in 1. sent. dist. 4. t. q. 1. a. 2. ad 1. ubi ait: *Electio diuina est, quæ aliqui ex ordine suæ sapientiæ ordinantur ad finem beatitudinis: sed prædestinatio est, secundum quod præparantur eis ea, quæ perducunt in finem, (hoc est, media.) Et ideo sicut voluntas ordinans in finem, præcedit actum voluntatis præparantis ea, quæ dicuntur in finem, ita electio prædestinationem præcedit.* Vbi expressè S. Thomas prædestinationem vocat preparationem mediorum, perducendum in finem æternæ beatitudinis, electionem verò ipsam ordinationem efficacem ad eundem finem; hancque dicit esse priorem prædestinatione, sicut voluntas ordinans in finem prior est voluntate seu electione mediorum. Quo nihil potest dici clarius.

55 Eodem spectat, quod idem S. Thomas ibidem art. 3. sæpius docet, prædestinationis ex parte actus diuini, opera nostra non esse causam vel rationem, sed solum ex parte obiecti: [Similiter etiam voluntas sua (Dei) cum sit libera, magis etiam, quam aliqua voluntas, non habet causam nisi finem voluntatis suæ: finis autem voluntatis suæ est sua bonitas, quæ est ipsemet. Vnde dicitur communiter, quod Deus vult hoc propter bonitatem suam, non quia sciuit hoc, vel quia hoc factum est. Sed tamen effectus voluntatis eius, scilicet ipsum volitum ordinatum ad bonitatem suam, potest procedere ex aliqua causa, quam Deus præsciuit ab æterno, & istum ordinem causæ ad causatum Deus vult, & vult quod effectus sit, quia causa est: non autem quod causalitas referatur ad voluntatem, sed ad volitum, & ista causa voliti, non volendi, dicitur ratio quædam voluntatis

ex parte effectus. [Et infra ad primum: Non ideo, inquit, voluit Deus (conferre alicui gratiam) quia iste præparauit se, sed solum quia bonum est. Et rursum ad quintum ait:] In intellectu prædestinationis includitur voluntas consequens, quæ respicit opera, non quasi causam voluntatis, sed sicut causam meritoriam gloriæ, & sicut præparationem ad gratiam.] Vbi cum S. Thomas sæpius asserat, opera nostra esse quidem causam vel dispositionem respectu gloriæ vel gratiæ, nunquam tamen concedit, esse causam vel rationem ipsius per se diuinæ prædestinationis aut volitionis, sed potius contrarium asserit.

56 Quartus locus est eiusdem S. Thomæ quæst. 6. de verit. art. 1. similis ei, quem primo loco citauimus. Sic enim habet: [Prædestinatio in actu rationis consistit, dirigentis vel ordinantis in finem: sed ad directionem in finem præexigitur voluntas finis. Nullus enim aliquid in finem ordinat, quod non vult &c. Finis autem, in quem prædestinatio ordinat, non est vniuersaliter consideratus; sed secundum comparisonem eius ad illum, qui finem ipsum consequitur, quem oportet esse distinctum apud dirigentem, ab his, qui finem illum non consequuntur. Et ideo prædestinatio præsupponit dilectionem, per quam Deus vult salutem eius. &c. Præexigitur etiam electio, per quam ille, qui in finem infalibilibiter dirigitur, ab aliis separatur, qui non hoc modo in finem diriguntur: hæc autem separatio non est propter diuersitatem aliquam inuentam in his, qui separantur, quæ posset ad amorem incitare; quia antequam nati essent, aut aliquid boni egissent, aut mali, dictum est, Iacob dilexi; Esau autem odio habui, ut dicitur Rom. 9. Et ideo prædestinatio præsupponit electionem & dilectionem; electio verò dilectionem.] Quibus verbis aperte rursus docet S. Thomas, voluntatem efficacem finis, adeoque electionem ad gloriam, priorem esse prædestinatione, quæ dicit ordinationem in eundem finem per certam media, ut prius ibidem docuerat S. Thomas; item electionem, siue separationem, quæ fit per electionem, non esse propter diuersitatem aliquam, quæ posset ad amorem incitare; quod est dicere, non ob præuisionem merita &c.

57 Quintus locus est apud eundem S. Thomam q. 6. de verit. art. 2. isque multiplex. Primò enim docet, voluntatem gratiæ & gloriæ in Deo esse merè gratuitam. [Quod Deus, inquit, velit alicui dare gratiam & gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit. In his autem, quæ ex liberalitate procedunt, tantum, causa volendi est ipsa superabundans affectio volentis ad finem, in quo attenditur perfectio bonitatis ipsius. Vnde causa prædestinationis nihil est aliud, quam bonitas ipsius Dei.]

Secundo ibidem ad 2. docet, prædestinationem respicere quidem etiam ad opera & merita nostra, verum non ut quiddam inclinans diuinam voluntatem ad volendum, sed veluti effectum: [Prædestinatio, inquit, includit voluntatem consequentem, quæ respicit aliquo modo id, quod est ex parte nostra; non quidem sicut inclinans diuinam voluntatem ad volendum, sed sicut id, ad cuius productionem diuina voluntas gratiam ordinat, vel et sicut id quod ad gratiam quodammodo disponit, & gloriam meretur.

Tertiò ibidem ad 9. disertè negat, rationem electionis esse meritum: *Electio Dei, inquit, qua unum eligit, & alium reprobat, rationalis est; nec tamen oportet, quod ratio electionis sit meritum: sed in ipsa electione ratio est diuina bonitas. Ratio autem reprobationis est in hominibus peccatum originale, ut dicit Augustinus (Enchirid. cap. 108. tom. 3) vel in futuro per hoc ipsum, quod est non habere debitum, ad hoc quod eis gratia conferatur: rationaliter autem possum velle denegare aliquid alicui, quod sibi non debetur.*

Denique ibidem ad 12. ait: *Quamuis meritum possit esse causa effectus prædestinationis, non tamen potest esse, prædestinationis causa.* Hactenus S. Thomas. Quæ omnia simul collata, & simul etiam considerando, quod contrarium apud S. Thomam nusquam reperitur, meo quidem iudicio, euidenter ostendunt, S. Thomam docuisse prædestinationem seu electionem ad gloriam ante præuisionem meritum.

59 Vnum tantum locum in S. Thoma dudum notauimus, qui contrariæ sententiæ non parum fauet; quem miror à nemine hactenus (in disp. Anni 1614. thesi 37. de prædest. à me primùm notatum) fuisse obiectum. Etenim comment. in cap. 8. Rom. lect. 6. cum retulisset quorundam sententiam, asserentium, Deum prædestinare aliquos, quia præcitat eos bene operaturos, subiungit: *Et hoc quidem rationaliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantum vitam æternam, quæ datur meritis.* Verùm respondeo, S. Thomam eo loco agere contra errorem quorundam, qui docuerunt præuisionem operum, seu meritorum nostrorum, esse causam seu rationem totius prædestinationis tum ad gratiam, tum ad gloriam: quæ sententia cum planè falsa sit & improbabilis, ut quæst. præced. dictum, respectu huius sententiæ, quam planè, ut ita dicam, *irrationabilem* esse ostendit, ait, alterum illud *rationaliter dici*: quibus verbis plus non significat, quam sententiam illam non esse planè improbabilem: quod illi etiam fatentur, qui tamen interim oppositam defendunt, ut videre est apud Suarez lib. 3. de auxil. cap. 16. num. 8. qui etiam num. 20. rectè ait, hanc esse *expressam sententiam D. Thomæ 1. p. q. 23. a. 4. & frequentius receptam à scholasticis Doctoribus.*

60 Atque ex his, quæ circa Authores referendos in hac materia prolixè diximus, colliguntur ista. I. non male, sed iure optimo à Suarío & aliis, pro hac sententia de prædestinatione ad gloriam, ante præuisionem meritum, citari S. Thomam, & omnes eius sectatores. II. Verum non esse, eam sententiam de Electione ad gloriam ante præuisionem meritum, nec *Scripturæ, nec Conciliorum, nec Patrum, nec Theologorum, ante & extra Scoti scholam, auctoritate vel testimonio probari posse*; cum S. Thomas, Albertus, Vdalricus, Egidius, Richardus, superius relati, Scoto planè fuerint antiquiores; Heruæus ei coæqualis; Durandus, ac Thomistæ omnes utique extra Scoti scholam profecerint ac docuerint. III. Sanè falsum esse, *scripturam, Concilia, Patres, & Theologos, unanimes consensu docere, electionem & prædestinationem, partialiter pro ea, quæ ad solam gloriam est, ex præscientia meritorum esse; idque bene etiam probare Vasquez disp. 89. cap. 6. & alios; cum nec Vasquez loc. cit. aut vsquam alibi, nec alius Theologorum vnquam hoc dixerit, aut velle uiter saltem insinuarit, sed contra potius Vasquez ipse cit. disp. 89. cap. 1. num. 2. quam plures referat*

grauissimos pro opposita sententia Theologos; nec quisquam ignorare possit, iam olim diuersas hæc de re fuisse Theologorum sententias; imò verò, ut ex dictis liquet, plures etiam ex antiquis Scholasticis oppositum docuisse, videlicet Electionem seu prædestinationem ad gloriam non ex præscientia meritum, sed eâ priorem esse, ut vidimus. Quæ obiter, notare hoc loco necesse fuit, ne tanta contestatio, etiam typis publicata, aduersus tam probatam & antiquam sententiam, apud rerum ignaros, grauius aliquod præiudicium veritati adferret. De Scriptura verò, Conciliis, Patribus, reque ipsa vniuersa, sequenti dubio agetur: hic enim solum Auctorum varias sententias bona fide referre, & à falsis expositionibus & allegationibus vindicare propositum fuit.

DVBIVM IV.

Quid re ipsa sentiendum de ea controuersia; An prædestinatio seu Electio ad gloriã, sit prior præuisione & prædestinatione mediorum; & qua ratione.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 4. s. & 7.

Explicatis de hac controuersia variis Auctorum sententiis, restat, ut nostram denique sententiam breuiter exponamus; quod sequentibus assertionibus ita ordine faciemus, ut simul etiam modum ac necessitatem gratuita huiusmodi electionis declaremus.

1 Assertio I. Deus inefficaci quadam voluntate, etiam beneplaciti, tum absoluta ex parte obiecti, tum etiam conditionata, ante omnem præuisionem absolutam, vel etiam determinationem meritum, vel mediorum, omnibus tam reprobis, quam saluandis vult salutem & gloriam. Hanc doctrinam, ex veriori cum S. Thoma 1. p. q. 13. a. 6. ad 1. & communi, contra quosdam aliter sentientes tradidimus & defendimus supra disp. 2. quæst. 10. dub. 3. & patet ex illo 1. Tim. 2. v. 4. *Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et additur ratio. *Prus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus IESVS, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Neque de hac inefficaci voluntate vlla nobis est hoc loco controuersia, sed solum de efficaci voluntate gloriæ, quæ dicitur electio, seu prædestinatio ad gloriam.

2 Assertio II. Quoad voluntatem gloriæ efficacem, seu prædestinationem ad gloriam, ante præuisionem, vel post præuisionem merita seu media, non est distinguendum inter electos, ut aliquibus gloria sit decreta ante præuisionem merita, aliis post præuisionem media. Ita auctores primæ & tertiæ sententiæ, adeoque communis Theologorum, contra paucos auctores secundæ sententiæ dub. præced. relatos: quorum sententiam Zumel hic q. 23. a. 3. d. 2. vocat *temerariam, & peiori nota dignam*; sed acerbiori quàm par est, censura, non solum quia pars vtrique eius sententiæ per se seorsim & absolutè spectata vtrique graui multorum auctoritate nititur, nec per se improbabilis est,

est, vt partim ex dub. præced. constat, partim ex dicendis magis patebit; sed etiam quia absolute loquendo, nihil videtur obfata, quo minus Deus pro maiori sapientia & bonitatis suæ manifestatione, eiusmodi quandam varietatem in sua prouidentia & prædestinatione seruarit.

3 Probatur tamen assertio. Primò quia Scriptura & SS. Patres, præcipuè Augustinus, quod ad propositum attinet, vniformiter de prædestinatione omnium hominum loquuntur; nec quoad hanc rem, vllam vsquam faciunt exceptionem, aut restrictionem, vt aliter alii, quàm alii, à Deo prædestinati intelligantur, vt ex Scripturis inferius pro vtraque opposita sententia adducendis patebit; quæ nimirum generatim docent, prædestinatos quidem, quod ad ipsam executionem attinet, non nisi certis medijs vitam æternam consequi; adultos quidem etiam proprijs meritis, infantes autem solius quidem Christi meritis, sed non absq; Sacramento, aut martyrio. &c. contrà verò ipsam prædestinationem omnium & adultorum, & paruulorum, referunt saltem originaliter ad Dei gratuitam misericordiam. &c.

4 Imò Augustinus, seu quisquis ille est author Hypognostici lib. 6. in fine, cū & Pelagiani olim quoddam inter prædestinatos discrimen constituerent, id planè damnat & improbatur his verbis: *Prædestinationem igitur negare, quam apud Deum esse breuiter probauimus, imminis blasphemia est; quam non tantum, sicut soletis dicere, in Apostolis debemus accipere, sed in Patriarchis, & Prophetis, & Martyribus, & Confessoribus, & in omnibus Sanctis, & dignè seruientibus Deo.* Qua de causa etiam Thomista quidam recentiores (in quibus Didacus Aluarez lib. 5 de auxil. disp. 37. num. 1.) non verentur dicere, eam sententiam in antiquis Pelagianis ab Augustino fuisse damnatam. Sed falluntur; quia aliud est prorsus negare, prædestinationem gratiæ, quod vt dictum quæst. 3. dub. 1. fecerunt olim Pelagiani, saltem à toto genere; (in quibusdam enim eam videntur agnouisse, vt ex citato loco Hypognosticon colligitur) aliud est, supposita prædestinatione gratiæ, dicere, aliam & aliam fuisse in Deo rationem prædestinandi ad gloriam, respectu diuersorum.

5 Ratio assertionis est; quia rationes quoque, quæ adferri solent, in alterutram partem, siue quod prædestinatio ad gloriam facta fuerit ante præuisionem meritorum, siue quod facta fuerit post præuisionem meritorum seu mediourum, generales itidem sunt, & procedunt de omnibus prædestinatis generatim; aut ergo nihil probant, aut de omnibus probant, vt ex sequentibus intelligitur. Et spèciatim quia negari non potest, etiam B. Virgini V. G. in tempore collatam fuisse gloriam propter merita; sanè consequens est, Deum etiam ab æterno habuisse voluntatem conferendi eidem gloriam, propter præuisa merita; Quod si, vt authores primæ sententiæ contendunt, voluntas hæc non admittit aliam voluntatem priorem ad ordinem intentionis spectantem, qua Deus voluerit eidem conferre gloriam ante præuisa merita, quia, vt aiunt, duplex eiusmodi in Deo voluntas, seu electio, vna ad ordinem intentionis, altera ad ordinem executionis pertinens, ficticia est & impossibilis, planè efficitur,

nec B. Virginem, nec vllum Sanctorum à Deo prædestinatum fuisse ad gloriam ante præuisionem meritorum &c. Quare etiam rectè censuit Suarez lib. 3. de auxil. cap. 16. num. 8. eam prædestinandum distinctionem nec fundamentum habere in Scriptura, vel Patribus, neque esse necessariam.

6 Assertio III. Prima voluntas efficax gloriæ, qua Deus saluandis singulis voluit gloriâ, seu, quod eodem redit; ipsa prima Electio, seu prædestinatio ad gloriam, secundum rationem nostram, in diuina mente antecessit absolutam præuisionem meritorum seu mediourum. Ita contra primam & secundam, sententiam docent S. Augustinus, S. Thomas, alii; authores tertiæ sententiæ dub. præced. citati: quam proinde communem Theologorum sententiam in vtraque schola S. Thomæ, & Scoti, etiamnum hodie constanter receptam, atque ab alijs grauissimis doctissimisque Theologiæ Doctoribus voce & calamo publicè propugnatam probatamque rectè dixeris; adeo vt omnibus spectatis, opposita sententia minus frequenter etiam in scholis hodie recepta dici possit.

7 Dixi verò primò, *Voluntas efficax gloria*, quia vt dictum de voluntate inefficaci non est quæstio; & authores et primæ ac tertiæ sententiæ vtrò concedunt, Deum ante præuisionem meritorum habuisse affectum quendam & voluntatem simplicem ac inefficacem, seu conditionatam, qua omnibus voluerit gloriam, Dixi secundò; *voluntas prima*; quia loquimur de eo decreto efficaci, quo Deus secundum ordinem intentionis primo saluandis quibuslibet voluit gloriâ; quæ est simpliciter & absolute tum Electio, tum prædestinatio ad gloriam dicitur; eum tamen interim in Deo etiam admittenda sit alia quædã & posterior efficax voluntas gloriæ, quasi executiua, vt inferius explicabitur. Dixi tertio, *qua Deus singulis*, &c. quia licet Heruæus dub. præced. citatus, præter hanc voluntatem, qua Deus in particulari singulis voluit gloriam, constituere videatur aliam voluntatem efficacè ratione priorè, qua Deus indefinite & absolute voluerit aliquibus communicare gloriâ, de hac tñ voluntate hoc loco non est propriè controuersia, nec de ea nos loquimur; præterquã quod talis indefinita voluntas absq; necessitate in Deo constituitur, vt inferius dicitur: sed sermo & controuersia est hoc loco de voluntate illa efficaci, qua Deus sigillatim & in particulari singulis saluandis voluit gloriam. Dixi quartò, absolutam præuisionem meritorum &c. quia præscientia simplicis intelligentiæ, siue etiam conditionata omnium mediourum, vtique præcessit in Deo Electionem seu prædestinationem ad gloriam, vt suo loco dictum; neque de hac re est vlla hoc loco controuersia, vt iam antè monui dub. præced.

8 His positis, probatur assertio primò ex Scriptura, quæ cum frequenter de diuina prædestinatione differat, nusquã tñ eam propter merita factam, sed potius gratuitam esse docet: id quod pariter fere de electione, proposito, alijsq; similibus vocabulis prædestinatione diuinâ significantibus dicendū: nisi cum aliquando pro ratione subiectæ materiæ accidit, nò de prima voluntate seu Electione ad gloriâ sermonè esse, vt dicemus: præterquam quod etiam alijs modis Electio ad gloriam, vel etiam ad perseuerantiã, prior esse præuisione mediourum in Scriptura significatur, vt mox patebit. Vt autem distinctè procedamus,

refere-

referemus primò ea loca Scripturæ, quæ in Euangelistis, deinde seorsim ea, quæ in Apostolo Paulo hactenus relegendur. Neque verò expectandum est, ut singula per se loca intentum planè irrefragabilitè concludant; sed ut denique manifestum sit, quam hæc sententia licet non omninò aperte in Scripturis tradita (alioqui de fide esset) sit tamen diuinæ Scripturæ vnde quaque & cum primis consentanea: tantum abest, ut diuinæ Scripturæ vllatenus repugnet.

9 Primus igitur locus est Matthæi 25. v. 34. qui cum in oppositam quidem sententiam soleat adduci, penitus tamen inspectus, nostram potius assertionem confirmat. Sic enim habet: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare. &c.* Quæ verba postrema non reddunt causam, cur paratum illis esset à Deo regnum, cuius præparationis obiter solum fuerat facta mentio, sed principalis intenti ac propositi, de quo paulo antea fuerat sermo, *Venite, possidete &c.* simul tamen significant, regnum æternæ beatitudinis illis à Deo fuisse paratum, hoc est, destinatum, nimirum in mente diuina à constitutione mundi; quod non de sola actuali mundi productione intelligi debet; quia procul dubio non in tempore primum à Deo propositum illud conceptum fuit, sed de ipso decreto mundi constituendi; quasi dicat, Regnum hoc fuisse Electis à Deo ab æterno destinatum, simul (si non etiam prius ratione) ac Deus mundum facere decreuit: ex quo colligitur decretum cælestis regni electis conferendi Deum simul certe (si non prius) secundum rationem habuisse cum decreto mundi constituendi, adeoque ante præuisionem mediorum, quæ mundicōstitutionem supponunt. Bene in hunc locum Chryostomus homil. 54. in Matth. *Nunc autem, inquit, quoniam non secundum mercedem hominum, sed secundum suam largitatem constituit mercedem sanctorum, ideo antequam sanctos crearet in seculo, regnum calorū preparavit in celo. Propterea quos ante constitutionem mundi suos esse cognoscit, tantis eos laboribus onerat, & tam diu laborare facit, donec digni efficiantur regni calorū.*

10 Secundus locus est Matth. 24. v. 20. *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Et Marci 13. v. 20. *Nisi breuiasset Dominus dies, non fuisset salua omnis caro; sed propter electos, quos elegit, breuiabit dies.* Vbi simpliciter electi dicuntur & intelliguntur ad gloriam; & ratio eius breuiationis, quæ erat medium ad gloriam, significatur fuisse electio; quæ proinde ratione antecedere debet in diuina mente decretum eiusdem medii, ut bene etiam Suarez lib. 3. de aux. c. 16.

Tertius locus est Luc. 12. v. 32. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Quibus verbis sub nomine complacentiæ, seu placiti diuini, agitur de æterno proposito Dei conferendi saluandis regnum cælestis; id verò propositum simul non ex vlla obligatione aut debito Deum concepisit docetur; sed ex gratuita bonitate & liberalitate, seu beneplacito diuinæ voluntatis. Neque enim debitorem dicimus soluere debitum, aut solutionem debiti animo destinare ex complacentia seu beneplacito, sed ex debito. Id quod magis etiam confirmatur ex græco verbo *ἡδοκῆναι*; quod propriè lu-

bentiam & benevolentiam significat. Si ergo regnum cælestis ex diuina benevolentia & beneplacito etiam adultis à Deo decretum est, sequitur voluntatem efficacem seu Electionem primam ad gloriam fuisse gratuitam, adeoque non ex meritis, sed priorem præuisione meritorum.

Nec obstat, quod Christus non ad solos Apostolos (in quibus tamen etiam erat Iudas reprobus) sed ad omnes discipulos ea verba protulit; ut proinde solum de simplici & inefficaci complacentiæ affectu, aut de conditionata voluntate, non absoluta & efficaci accipienda videantur, uti nonnulli obiciunt. Nihilominus enim hæc verba, facta denominatione à potiori, de solis electis propriè accipiuntur; ut etiam aliis locis sæpe, & à concionatoribus quotidie, electorum nomen profertur ad totam communitatem; quia & nos de singulis, & singuli de se sperare debent, quod sint electi. Confirmatur hoc ex verbis Christi, quia speciale solatium pusillo huic gregi iis verbis voluit exhibere: nihil autem speciale aut proprium quicquam illis indicasset, si tantum de conditionata voluntate fuisset locutus, ut patet.

Quartus locus est Ioan. 6. v. 39. *Hæc est autem voluntas eius, qui misit me Pater, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die.* Sensus esse videtur, ut colligi potest ex Augustino tract. 25. in Ioan. ut omnes, quos per æternam electionem & prædestinationem, mihi velut proprium & æternum peculium consignauit Pater, eos docendo, monendo, gratia mea, & auxiliis meis sic dirigam, ut ad quam ab æterno prædestinati sunt vitam, eam re ipsa denique resuscitati consequantur. Vbi rursum æterna prædestinatio & electio supponitur ad voluntatem mediorum; eos enim qui & quia prædestinati erant ad vitam, voluit Pater à Christo efficaciter dirigi & promoueri ad vitam.

Quintus locus est Ioan. 10. v. 26. *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis: oues meæ vocem meam audiunt.* Vbi obedientiæ causa assignatur conscriptio inter oues Christi, siue prædestinatio ad gloriam, ut Augustinus tract. 25. in Ioan. & Beda intelligunt. Ergo secundum rationem prius est, esse ouem Christi, secundum diuinam prædestinationem, quam credere & vocem Christi audire.

Sextus locus est Ioan. 15. v. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vestri maneat. &c.* Vt ut sæpe hoc loco Augustinus ad gratuitam electionem probandam. Et est quidem sermo ad Apostolos, non quoslibet, sed solos (iam excluso & absente Iuda, ut constat ex Ioan. 13. v. 31.) electos & prædestinatos: nec sermo est solum de electione ad officium Apostolatus, sed etiam ad sanctitatem vitæ bonorumq; operum, & perseuerantiam, ut patet ex adiectis verbis, *Elegi vos, & posui, ut eatis, & fructum adferatis, & fructus vestri maneat.* Ad hæc omnia dicuntur à Christo gratis electi, & non ob præuisionem eorum cooperationem & merita: quasi in diuina mente eorum electio & cooperatio prior fuisset respectu alicuius eiusmodi effectus, quam diuina electio, ut patet ex illis verbis, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Quod si ergo Deus ad perseuerantiam etiam ipsam Apostolos elegit, nullâ eorum determinatione seu cooperatione præuisâ, alioquin enim Apo-

stoli secundum præscientiam diuinam priores elegerunt Christum, respectu electionis ad perseuerantiam, quam ad hunc effectum à Deo fuissent electi, licet ea quidem cooperatio ad perseuerantiam necessarium esset medium; sequitur, quod ad gloriam, mediorem & meritorum præscientiâ priorè fuisse: tum quia par est ratio & proportio utriusque; si enim vnus effectus prædestinationis remotior sine mediâ præscientiâ prædestinationis est, idem etiam de aliis sentiendum: tum quia immediata electio ad perseuerantiam, moraliter non potuit non esse efficaci intentione gloriæ processisse, vt sapius dictum: præterquam quod ipsum vocabulum *Electio*, generale est, & tam electio ad gratiam, quam ad gloriam, accommodari potest. Bene ex hoc loco Augustinus lib. de Præd. sanct. c. 17. *Rogo quis audiat Dominum dicentem: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & audeat dicere, credere homines, vt eligantur, cum potius eligantur, vt credant.*

14 Septimus locus est Ioan. 17. v. 9. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Vbi rursum de æterna Dei prædestinatione sermo est, quæ Deus Christo filio electos etiam in particulari consignauit & tradidit. Hanc electionem diuinam etiam ad gloriam supponebat & sequebatur specialis hæc & efficax oratio Christi: quia propterea Christus pro Apostolis orabat, quod à Deo electi essent, vt significatur illis verbis, *sed rogo pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt*; scilicet per æternam prædestinationem. Si ergo in diuina mente electio ad gloriam, aut saltem ad perseuerantiam, priorerat, quam præscientiâ illius mediâ, quod in speciali & efficaci illa Christi oratione consistebat (quam effectum esse prædestinationis quæst. 2. dub. 1. docuimus) idem pariter etiam de aliis mediis dicendum erit.

15 Octauus locus est 1. Ioan. 2. v. 19. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent vique nobiscum: sed et manifestum sit, quoniam non sunt omnes ex nobis.* Vtitur hoc ipso etiam loco S. Augustinus lib. de bono perseuer. cap. 8. vbi rationem reddi ab Apostolo docet, cur non omnes, qui cum virtute cœperunt, perseuerent; quia non sunt omnes ex nobis, hoc est, prædestinati, siue per diuinam sortem, discretionem, electionem separati: ex quo sequitur, diuinam prædestinationem ad ipsam, etiam perseuerantiam finalem, priorem esse in diuina mente cooperatione nostra, vt fustus persecuti sumus dub. præced. expendendo citatum locum S. Augustini, quem ibidem secundo loco inter Augustini testimonia adduximus.

16 Nonus locus est Act. 13. v. 49. *Et crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Vbi pro effectu præordinationis ad vitam æternam assignatur fides: seu, quod idem est, pro causâ fidei, præordinatio ad vitam æternam; quam proinde priorem in mente diuina esse oportebat, voluntate conferendi donum fidei. Quod si Caluinus hoc etiam loco abutitur ad suam reprobationem probandâ, nihil hoc orthodoxæ sententiæ præiudicat; quia etiam Arriani valde urgebant illum locum, *Pater maior me est*; & id tunc non obstabat, quo minus catholica Ecclesia filium aliqua ratione minorem Patre constanter profiteretur. Atque hæc ferè sunt loca, quæ extra epistolas S. pauli adferri possunt; nunc ad Paulum veniamus.

Decimus igitur locus est Rom. 8. v. 29. *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ut, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filii sui. &c. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Vbi ex proposito & prædestinatione Dei significatur hæc omnia nasci, cooperationem rerum omnium in bonum, vocationem, iustificationem, glorificationem, &c.

Respondet non nemo, illa verba Apostoli, prædestinationem, electionem, præscientiam, propositum, electi, vocati secundum propositum &c. ad omnes iustificatos, etiam reprobos, pertinere. Sed hoc nec verbis ipsis congruit, nec interpretationi Augustini, vbi de hac re loquitur, vt fatetur opponens, & pater ex dub. 1. nec discursui vel scopo Apostoli, qui singulare solatium iis verbis præbere volebat fidelibus ad persecutiones constantius perferendas. Et quid opus erat illa restrictione, *his qui secundum propositum vocati, &c.* Qua ratione de iustis omnibus absolute, verè, & propriè dici poterat, *quibus omnia cooperantur in bonum*? Qua ratione absolute & sine limitatione verum, *quos iustificauit, illos & glorificauit, &c.*

18 Neq; tamen ideo exhortatio Apostoli, vt aduersarii nobis obiciunt, ad friuolam illâ interpretationem redigenda est; Estote bono animo, & patientes, quia si estis electi, omnia hæc vobis ad bonum conferent, secus est, si non estis electi: sed hic est Apostoli sensus: Electis, quales vos singulos esse spero, & vos singuli de vobis merito speratis, omnia cooperantur in bonum: itaq; confidite. In qua re quantum sit solatii, pluribus dicitur in fine huius disputationis.

Vndecimus locus est Rom. 9. v. 11. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (vt secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictu est ei, Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Quo loco tametsi dubiū sit, an illud Malach. 1. v. 2. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, ex mente Prophetæ de spirituali & æterna Dei dilectione, ad gratiâ & gloriâ Iacobo, nõ Esau conferendam, ad literam intelligendū sit, Vaqueo in sua quidem Paraphrasi, & alibi, id de temporali quadam solum felicitate interpretante, qua nepè Iacobo terra fertilis à Deo decreta, Esau verò ad aspera saxa reiectus fuerit; cuius generis felicitatem, respicere etiam videntur illa verba, quæ citantur ex Genes. 25. v. 23. *Maiores seruiet minori*: nullum tamen esse dubiū potest, quin ex mente Apostoli, totus hic locus de æterna prædestinatione ad salutem ac spiritualia bona accipiendus sit: adeo vt iuxta expositionem & declarationem Apostoli, de fide sit, Iacobum & Esau typum saltem gessisse; illum quidem prædestinatorum & electorum ad salutem, hunc verò reproborum.

19 Cum ergo Apostolus hoc sensu doceat, Iacobum nõ ex præuisione operū (sic nõ necessariò accipiendū illud, nõ ex operibus), alioquin nihil ad propositū cõcluderet Apostolus, id quod ita et Augustinus, & alii esse secuti, constanter intellexerunt, quicquid nõnulli de Scimpelagianorū errore respectu olim in contrariū dixerint (sed solū gratuita Dei electione à Deo fuisse electū, Esau verò nõ ite, quod est q. respectiue odio haberi, vt fustus dicitur q. 7. d. 4. sequitur planè, prædesti-

nationem

nationem & electionem saluandorum in diuina mente priorem esse præsentia meritum, vt etiam argumentati sumus quæst. 3. dub. 3. & sæpius argumentantem vidimus Augustinum. Esse verò hic sermonem de Electione non solum ad gratiam, sed etiam ad gloriam, ex eo probatur, tum quia absolute de electione & proposito Dei sermo est; tum quia seruitus illa, qua reprobi subiciuntur electis, propriè & perfectè non in hac vita, in qua sæpe iniqui dominantur bonis, sed in altera vita completur. Tū quia ipsa terra promissionis, ad quam gratuita Dei benevolentia electus est Iacob, reprobato Esau, figura erat caelestis gloriæ. Significatur ergo, ad futuram etiam gloriam alterius vitæ saluandos gratis prædestinari à Deo, non minus quam ad terram illam promissionis gratuita solum Dei benevolentia, ante omnem præuisionem meritum, destinatus & electus erat Iacob.

20 Duodecimus locus est eodè cap. 9. ad Rom. v. 14. *Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum? absit. Moysenim dicit (Exod. 33. v. 19.) Miserebor cuius misereor: & misericordiam præstabo, cuius miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei &c. Ergo cuius vult misereor, & quem vult inducat.* Vbi rursum Apostolus obiectionem quandam contra ea, quæ ex ipso proximè diximus, amolens, in Dei misericordiam eandem electionem Iacobi, siue prædestinatorum, per quam Esau & reprobi à Deo prælati fuerunt, refert, hoc epiphonemate addito: Igitur salus nostra, siue temporalis in hac vita, siue æterna alterius vitæ, originaliter & radicaliter, non est volentis, neque currentis, aut quamuis enixè fatagentis hominis, sed miserentis Dei; quin tempè gratiæ, & mera sua misericordia ad vtramque homines prædestinat, vt antea dixerat: quam etiam misericordiam pro suo beneplacito cui vult impartitur. Tribuitur autem hæc prædestinatio diuinæ misericordiae Dei: quia per eam homo, tum à statu naturalis vilitatis & indignitatis, aut etiam, vt ita dicam, nihilitatis, tum in ipsa saltem executione, à peccati miseria euehitur ad statum summæ excellentiæ & gloriæ; ac simul etiam præseruatur ab æterna damnationis miseria.

21 Decimus tertius locus est in verbis ibidem continuo subsequētib; v. 19. *Dico itaque tibi, quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis resistit? ò homo, tu quis es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit. Quid me fecisti sic? annon habes potestatem sicut lutus, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Vbi Apostolus rursum aliam dissoluens obiectionem, qua aliquis Deum accusare poterat, quasi frustra de hominis iniquitate conqueratur, si primitus omnia ex Dei arbitratu & prædestinatione pendeant; minimè negat Apostolus fundamentum, ex quo obiectionis occasio deprompta est; sed alia via reprimit hominis electionem & murmurationem aduersus Deum; quod nimirum homo tanquam figmentum, conditori suo plenissimè subiectum, non habeat causam, cur de diuina dispositione queratur. Id quod similitudine figuli confirmat, qui solo suo arbitratu, non præuisa vlla dignitate aut dispositione lutus, ex eodè planè luto, facit aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam, seu inhonorem vsus: qua similitudine

concludit, Deum pariter ex eadem massa generis humani (siue illa peccato iam secundum Dei præscientiam infecta ponatur, siue non, de quo infra dub. 8.) posse suo arbitratu alios quidè directè & formalè intentione, propriaque ac speciali sua dispositione & procuracione, condere ad salutem & gloriam; alios aut ita creare, vt non quidem directè, speciali, & positua dispositione ac procuracione, sed quadà remissione, siue gratiæ denegacione, vt mox inferi⁹ declaratur; & gratia efficaci destituantur, & dein ob præuisionem et peccatum, æternæ damnationis contumeliæ addantur. Esse verò & hic quoque sermonem tam de æterna gloria, quam damnatione, patet tū ex ipsis verbis honoris, & contumeliæ; tū quia vsus vasis, seu honest⁹, seu inhonor⁹, est vltim⁹ finis quasi intrinsec⁹ ipsi⁹ p se vasis, quod à figulo efficitur. Vñ sequitur

22 Decimus quartus locus ibidem v. 22. *Quod si Deus volens (seu dū vult) ostendere iram, & notam facere potestatem suam, sustinuit (& tolerauit) in multa patientia, vasa iræ apta (seu parata, ob præuisa peccata) in interitum, (quo factum est.) vt ostenderet diuinam gloriam suam in vasa misericordiae, quæ præparauit in gloria &c. Quid ergo dicemus? Vbi Apostolus electos vocat vasa misericordiae, quæ Deus per eandem vtiq; illam misericordiam suam, adeoque gratuita bonitate, præparauit, & ab æterno destinauit in gloriam. Mirū sanè, in hoc vnico capite Apostoli ad Rom. 9. toties & tam apertè, ac ex instituto fieri mentionem prædestinationis & electionis diuinæ, ac vbiq; in solidū tribui misericordie; nunquā verò operibus, seu præuisioni operum: quod tñ fieri saltem aliquando oportebat, si prædestinatio ad gloriam ex meritis esset; quando quidè gloria est potior ac nobilior terminus prædestinationis, quā gratia, atq; à potiori pot⁹, quam ab ignobiliori; sicut & ab vltimato potius, quam non vltimo termino mot⁹ & actionis solet fieri denominatio. Quod si Apostolus prædestinationis ad gloriam ex meritis, nullā facere voluisset hoc loco mentionē, vt de gratuita solū prædestinatione ad gratiam sermonē ad præsens institutum haberet, oportebat saltem prædestinationē ad gloriam alicubi manifestè in hac disputatione tā proluxa excludere, vel ea et de causa, vt ad vulgarem hominis captum plausibilior, ac minus odiosa redderetur doctrina & disputatio Apostoli: quod tamen Apostolus non solum non fecit, sed potius non obscure contrarium significauit, vt dictum.*

23 Decimus quintus locus est Rom. 11. v. 5. *Reliquia secundum electionē gratiæ salua facta sunt. Si aut gratiā, iam non ex operibus; alioquin gratiā non est gratia.* Vbi rursum absolute reliquia gentis Iudæorum, secundū electionē, quæ est ex gratia, non ex operibus, dicuntur salua factæ. Quod si iudæi homines gloriā consecuti sunt per electionē ex operibus, quidni et per electionem ex operibus salui facti esse dici possent? Certè negationes malignantis naturæ sunt, & negant omnia, & de omnibus, nisi restrictio addatur. Ad affirmationē aut indefinitā sufficit, eā in vno vel altero particulari subiecto verā esse. Atq; hæc ex Epist. ad Rom. satis.

Decimus sextus locus est Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso (Christo) ante mundi constitutionē, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.* Quo loco sæpe vtiq; Augustinus ad probandā electionē gratiæ, ante præuisionem meritum, bonorumque operum: quæ et efficaciter inde deducitur; quando quidè

electi

electi à Deo dicimur, non quia eramus, aut futuri-
ramus sancti & immaculati, sed vt essemus sancti & im-
maculati: sunt ergo opera nostra, quæ sanctos nos &
immaculatos efficiunt, effectus prædestinationis, nõ
causa, seu ratio. At verò et ad prædestinationem glo-
riæ hic locus probabiliter hoc modo referri potest;
quia absolute dicimur Electi à Deo, electione vtique
electorum propria, qua factum est, vt essemus sancti
& immaculati; talis aut electio absolute dicta & electo-
rum propria, efficiens vt simus sancti, non est tantum
electio ad gratiam, sed et ad gloriam: siquid electio
ad gloriam causa est, cur simus sancti & immaculati;
cũ Deus ex ipsa intentione & proposito efficaci cõ-
ferendi gloriam, gratiam nobis largiatur & sanctita-
tem, vt inferius declarabimus. Accedit quod etiam si
de sola electione ad sanctitatem hic sermo esset, nihil-
ominus nostra assertio ex eo loco rectè probaretur.
Quia si Deus ante præuisionem bonorum operum,
nostrorum, omniumq; meritorum, adeoq; etiã ante
præuisionem dispositionum nostrarũ, elegit nos vt
essemus sancti, vt ex hoc loco sæpius docet Augustinus,
ergo etiam ante præuisionem meritorum elegit
nos, vt essemus beati: quandoquidem alias secun-
dum executionem dispositio nostra non minus præ-
cedit sanctificationem & iustificationem nostram,
quam merita nostra præcedunt gloriam.

24 Decimus septimus locus est eodẽ cap. 1. Eph. v. 5.
*Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Iesum
Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in
laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto
filio suo &c. Et nõ faceret nobis Sacramentũ voluntatis
suæ, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in
dispensatione plenitudinis temporũ, in statuare omnia in
Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, in ipso. Vbi A-
postolus modum & rationem diuinæ prædestinatio-
nis explicans docet, 1. Deum esse causam quasi prin-
cipalem efficientem & finalem, iis verbis: Qui præde-
stinauit nos in laudem gloriæ gratiæ suæ. 2. Christum esse
causam instrumentalem seu meritoriam, & finalem
secundariam, cum ait: Per Iesum Christum in ipso &c.
item In statuare omnia in Christo, in ipso &c. 3. Ratione
prædestinandi nõ fuisse vlla merita seu opera nostra,
sed solum beneplacitum diuinæ voluntatis, cum ait:
Secundum propositum voluntatis suæ. Item, secundum be-
neplacitum eius. Spectare aut hunc locum etiã ad præ-
destinationem gloriæ docet inter alios Fulgentius in-
ferius citandus de fide ad Petrum cap. 3. 5. siue 10. &
probat; tum quia perfecta adoptio filiorum includit
etiam communicationem hæreditatis: tum quia ad-
ditur, In laudem gloriæ gratiæ suæ; quæ laus gloriæ di-
uinæ perfectè peragitur in cælis: tum quia beneplaci-
tum seu decretum illud diuinæ prædestinationis ex-
pressè etiam refertur ad hoc, quod est, omnia in statuare
in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt: quorum il-
lud gloriã respicit, hoc gratiã. Deniq; Apostoli erat,
non minus benedicere Deum ob prædestinatione ad
gloriã, quam ad gratiam; non ergo voluit excludere;
sed potiùs includere vtroq; hoc loco prædestinatione
ad gloriã: quod pariter et de sequenti loco dicendum.*

25 Decimus octauus locus est eodem c. 1. Eph. v. 11.
*In quo et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum
propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium vo-
luntatis suæ, vt simus in laudẽ gloriæ eius nos, qui ante spe-
rauimus in Christo. Vbi rursum docet Apostolus, præ-*

destinationem fieri secundum propositum, seu bene-
placitum Dei, operantis omnia secundum consilium
voluntatis suæ. Et loquitur de prædestinatione, à qua
absolute dicimur prædestinati, tum ad gratiam scilicet,
& perseverantiam, tum ad gloriam: quod etiam
significatur illis verbis, *Vt simus in laudem gloriæ eius;*
id quod perfectè accidit in cælis, vt dictum.

Quod si quis his locis excipiat, solum esse sermo-
nem de prædestinatione ad gratiam, is tamen iuxta
Augustinum negare non poterit, sermonem vtique et
esse de gratia perseverantiæ, seu de gratia, quæ cũ ipsa
perseuerantia secundum Dei voluntatem infallibile
habet connexionem: quo concessio, nihilominus con-
cluditur propositum in hunc modum: Nam si Deus
gratis, & absq; præuisione operum, solum pro bene-
placito suæ voluntatis, nos prædestinat ad ipsam gra-
tiam perseverantiæ, quæ est vltimus effectus gratiæ in
hac vita, non obstante, quod ipsa perseverantia in ef-
fectu nõ obtinetur ab adultis absq; eorũ cooperatio-
ne, tanquã necessario medio: ergo & gloriam Deus
prædestinat sine præuisa præscientia mediõrum: est
enim par vtriusq; proportio; & ipsius perseverantiæ
efficax voluntas supponit intentionem gloriæ, tan-
quam voluntatem finis, vt sæpius diximus.

26 Quod autem ex recentioribus non nemo conten-
dit, vocabula illa, *Prædestinatos, Electos, &c.* referri ad
omnes fideles iustificatos, etiam reprobos, iam superius
in simili, circa locum 3. & 10. satis refutauimus.

His omnibus, ex veteri testamento addimus locum
clarissimum, & completentẽ omnia, Eccl. 3. 3. v. 10.
*Et omnes homines de solo & ex terra; unde creatus est A-
dam. In multitudine disciplina Dominus separauit eos, &
immutauit vias eorũ. Ex ipsis benedixit & exalcauit: &
ex ipsis sanctificauit, & ad se applicauit: & ex ipsis male-
dixit, & humiliauit, & conuertit illos à separatione ipsorũ.
Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud & dis-
ponere. Omnes via eius secundum dispositione eius: sic homo
in manu illius, qui se fecit, & reddet illi secundum iudiciũ
suum. Vbi omnes viæ hominum, eorũque discre-
tio clarissimè ad liberam Dei dispositionem referuntur,
sicut dispositio lutum ad figulum.*

27 Atq; hæc sunt potissimum loca Scripturæ, quib⁹
hæc sententia etsi quidẽ non euidenter conuincitur,
certè tamẽ adeo probabilis redditur, vt oppositẽ me-
ritò anteponatur, quam ex solutione argumentorũ
patebit in Scriptura minimè fundatam esse, quicquid
nonnulli recentiores falsò, & contra communẽ sen-
sum & auctoritatem S. Thomæ, & Scholasticorum
veterum dixerint, nostram hanc sententiã nulla scri-
pturæ auctoritate, vel testimonio probari posse, sed alienam
esse à veritate & doctrina Scripturæ, ac repugnare multis
Scripturæ locis, quæ inferius suo loco examinabimus.
Vbi etiam obiter notandum, non bene hæc etiam in
re secum concordare Vasquium disp. 89. n. 111. vbi
ait, nullum ex Patribus ea quæ attulimus Scripturæ
loca intellexisse de electione ad gloriam: cum tamen
ipse met ibidem n. 111. & 114. notet, S. Augustinum
ipsum etiam duo loca ex citatis intellexisse de ele-
ctione ad gloriam. Atque hæc de probatione ex
Scriptura satis.

28 Secundò probatur assertio auctoritate SS. Pa-
trum, Conciliorum, & Doctorum Scholasticorum.
Nam vt dub. præced. demonstrauimus, est hæc pla-
nè S. Augustini, S. Thomæ, & comunis plurium &

graviorum Scholasticorum sententia. Ut autem maius pondus accedat authoritati S. Augustini, quando præsertim ei hac in re alii Patres, speciatim Græci, opponuntur, ut dicemus, animaduertendum est, S. Augustini doctrinam de gratia & prædestinatione non solum approbari à Cælestino Papa in epistola ad Episcopos Galliæ contra Pelagianos & Semipelagianos, cum in ea controuersia Prosper & Hilarius, Catholici & Orthodoxi Galliæ Episcopi, ad eum, velut supremum fidei Magistrum & Iudicem, persecutione Semipelagianorum coacti, confugissent; (quam approbandi rationem secuti sunt etiam postea Leo I. epist. ad Nicetam, & Gelasius in decreto de apocr. Script. & epist. 5. ad Episcopos per Picenum.) sed etiam ipsummet Augustinum eam certissimam iudicasse, cum in libro de bono perseuer. cap. 18. ait. *Hoc unum scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum scripturam sanctam defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Et in fine capitis 23. *Prædestinationis huius, inquit, fidem, quæ contra novos hereticos noua sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit: ut proinde ipsi potius reprehendendi sint, qui doctrinam Augustini de prædestinatione reprehedere audent; in quos olim grauiter inuectus Gelasius epist. cit. scripsit: Adhuc maior felix accersit, ut sub conspectu & presentia sacerdotum beatæ memoriæ Hieronymi, atq; Augustini, Ecclesiasticorum lumina Magistrorum, mystica moritura, sicut scriptum est, exterminans oleum suauitatis, lacerare contederet.*

29 Quod cū ad eam quidem doctrinam in primis pertineat, quatenus gratiæ necessitate & prædestinatione contra Pelagianos & Semipelagianos tuetur, de qua re erat tibi propriè quæstio & controuersia; nihilominus tū suo modo etiam ad vniuersam doctrinam eiusdem Augustini non malè accommodatur; quia est quidè hæc doctrina de electione gratuita ad gloriam non sit de fide, talis tamen est, ut contra eam pauci ex ipsis etiam Catholicis nisi errando disputarint, supponendo scilicet quædam principia, aut inferendo inde quædam conclusoria, quæ ab errore non longe absunt, qualia sunt 1. Facienti ex se ac per vires naturæ quod potest, certo conferri gratiam. 2. Dari causam suæ rationem ex parte prædestinati totius prædestinationis, etiam ad primam gratiam. 3. Gratiam efficacem seu congruam, ut sic non feligi pro electis, nec decerni, quia congrua & efficax sit. Quæ omnia partim hæc quæst. dub. 1. partim quæst. 3. tanquam falsa & improbabilia refutauimus.

30 Interim ipsummet etiam Cælestinum Papam cit. epist. ad Episcopos Galliæ, in doctrina Augustini de hæc materia quoddam constituisse discriminè, satis ex ipsius verbis patet. Primum n. quidem in laudem & commendationem Augustini, eiusq; doctrinæ contra Pelagianos, ita perorat: [Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vita sua atq; meritis in nostra communione semper habuimus, nec vnquam hunc sinistra suspitionis saltem rumor aspersit, quæ tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos, et ante à meis decessoribus haberetur &c.] Quod elogium cum S. Prosper contra Collatorè recitasset, hæc ait: [Contra istam clarissimam laudatoris tubam, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem, audeat quisquæ malignæ interpretationis murmur emittere, & perspicuæ sincerissimi atq; sententiæ

nubem obliquæ ambiguitatis obtendere &c.] Inferius aut post catholicam doctrinam de gratia aliquot capitibus expositam, ita concluditur Cælestini epistola: [Profundiores verò difficilioreq; partes occurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hereticis restiterunt, sicut non audent continere, ita non necesse habemus adstruere: quia ad cõfitendum gratiæ Dei, cuius operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quicquid secundum prædictas regulas Apostolica sedis nos scripta docuerunt: ut profus non opinemur catholicis, quod apparuit præfixis sententiis esse contrarium.] Quo loco, ut è Baronius bene notauit Anno 431. num. 185. profitetur Cælestinus Pontifex, profundiores illas de prædestinatione Sanctorum quæstiones, ab Apostolica Sede nequaquam definitas esse, illasq; tantum stabilitas fuisse, quæ ad condemnandum errorem sufficere posse videbantur.

Ex quib; et colligitur, minimè audiendum authorè Reuelationis, quæ tribuuntur B. Amadeo, dū eam Augustini doctrinam adeo audacter reprehedit. Nā reiecta Scoti & S. Thomæ sententia, de modo prædestinationis & reprobationis ait: *Hoc dixerunt illi, quia quæ supra alios extollitis (Augustin?) dixit crudelissimè, scilicet quod Deus prædestinauit ab solute hos ad penam (quod in nemo Catholicus docet, illos verò ad gaudium) qui sceleribus colligit (Magister sententiarum) ipsi præcipue imitatio est. Sed hæc subtilia apud vos, subtilissima sunt apud Deum. Hipponensis ille est origo apud vos istius opinionis, quæ sententiæ Collector ad litteram sequitur: quāvis ille Africanus sepe in contrariū dixerit.* Ita hic author. Sed hoc non esse verū, superius ostensum est. Plura de Augustino inferius, cum ad rationes deuentū fuerit, ratione 5.

Ex aliis verò Patrib; hanc sententiā tradit Author Hypognostici, vel & grauis Scriptor, tom. 7. oper. August. lib. 3. ante mediū, cū ait: [Ideo cur hoc illi operetur, illi non operetur, meruentē me & tremētē iudicia eius inscrutabilia, & incomprehensibilia, nolo interroges &c. Interroga eū, qui dixit: Vobis donatū est, pro Christo, non solum in eū credatis, sed verè pro illo patiamini; Et, Nō volentis, neq; currētis, sed miserentis est Dei; Et, Cuius vult miseretur, & quem vult indurat: & quia Spiritus S. dona charismatū suorum diuidit singulis prout vult, non prout volunt. Et quib; voluerit, nō qui voluerint, notas facit De⁹ diuitias gloriæ Sacramētū sui &c. Ista igitur cū facit Deus, incomprehensibilis, & inuestigabilis, atq; inenarrabilis, non personarum acceptione facit, nec iniusto iudicio sed planè iusto atq; secreto. Quia hæc est fides Catholica, quam si sequi velis, non eris de iudiciis Dei incomprehensibilib; curiosus & contentiosus, sed eris cū Catholicis humilis & mansuetus, &c. Taceat reprehensibilis, mendax, & iniustus homo, ut faciat irreprehensibilis, verax, & iustus De⁹, quæcumq; voluerit. Si tantū attendas ad peccatum primorum hominum, quo massa humani generis damnari meruit, quia secundum testimonium Pauli Apostoli, ex quo vno omnes transierunt in condemnationē, poteris cognoscere, iudicia Dei esse iustissima. Inde est n. malū meritum in hominib; tū in paruulis, quam in maioribus, præcedēs iudicia Dei, ut iusto eius iudicio puniantur. Quare aut in hoc ut dixi, malo merito præcedenti, non omnes puniuntur; aut cur inde nō omnes saluantur? Ego seruans Dñō in timore, & exul-

tans cum tremore, misericordiam ei & iudicium cætabo: quia iudicium facit præcedente causa, salutem verò donat ac misericordiam, præueniendo malam causam.] Ex quibus postremis verbis manifestum est, hunc authorem non solum loqui de gratia, sed etiam de salute æterna & gloria, quam punitioni æternæ opponit, eamque dono ac misericordie Dei tribuit; quia nimirum Deus gratuito prædestinationis decreto præuenit malam causam.

33 Et clari⁹ lib. 6. ante med. [Quia verò iustus & misericors Dominus Deus, præsciuitq; futurorū, ex hac damnabili massa, non personarū acceptione, sed iudicio æquiritatis suæ irreprehensibili, quos præscit, misericordia gratuita præparat, id est, prædestinat ad æternam vitam, cæteros autem pœna, vt prædixi, debita punit, quos ideo punit, quia quid essent futuri præsciuit, nõ tñ ipse fecit puniendos, vel prædestinauit, sed tantum, vt dixi, in damnabili massa præsciuit. Quod si a me quæris scire, cur duos ita differentes fecit Deus, si personarum acceptor non est, quia generaliter aut punire debet iustitia, aut misericordia liberare, contende cū Paulo, imò. si audes, argue Paulum, qui dixit Christo in se loquente; O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Vbi aperte & distinctè prædestinationem ad vitam æternam tribuit misericordie gratuita Dei.]

Et infra circa med. Diximus, inquit, de damnabili humani generis massa, Deum præscisse misericordia, non meritis, quos & electione gratiæ prædestinauit ad vitam: Cæteros verò, qui iudicio iustitiæ eius, hac gratia efficiuntur expertes, præscisse tantum vicio proprio perituros, non vt perirent prædestinasse. Quis locus adeo clarus est, vt etiam Vasquez disp. 89. cap. 8. num. 59. negare non potuerit, hunc authorem, doctum certe & neruoforum, stare à nostra sententia; quem idem etiam Vasquez disp. 95. num. 26. sub nomine Augustini citat.

34 Item author lib. de præd. & grat. cap. 5. tō. 7. Augustini, ait: [Ab illo ergo, quia æternus & præsciens, quia & iustus & pius est, qui exercet debitam seueritatem, & exhibet indebitam pietatē, & habet in creandis atq; eligendis hominibus, sicut in luto figur⁹, potestatem, facta sunt alia quidem vasa in honorē (nimirum per indebitam pietatem) alia verò in contumeliam: nimirum per debitam seueritatem. Et infra cap. 7. Quod si futurorū mores dicitur diuinum discrete iudicium, profectò illud euacuabitur, quod præmisit Apostolus dicens, Non ex operibus, sed ex vocante dictū est, quia maior seruiet minori. Non n. ait, ex præteritis operibus; sed cum generaliter dixerit, Non ex operibus, ibi & præterita intelligi voluit & futura: præterita scilicet, quæ nulla erant; futura, quæ nondū erant, prædestinatus est Iacob vas in honorem, quia non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Maior seruiet minori. Et cap. 26. Hanc, inquit, diuinā electionē non meritis reddi, sed sola voluntatis munificentiæ donari hominibus, Mōyses cum iam tunc quamuis carnale populū doceret, ostēdit. &c.]

35 Et S. Leo serm. 7. de pals. In saluandis, inquit, hominibus per crucem Christi, communis erat voluntas Patris, & filii, & commune consilium; nec vlla poterat ratione turbari, quod ante æterna secula & misericorditer erat dispositum, & incommutabiliter præfinitum. Vbi S. Pater vniuersim docet, consilium & decretum efficaciæ de saluandis hominibus fuisse misericorditer,

adeoque non ex præuisis meritis dispositum.

Item B. Fulgentius lib. de fide ad Petrum (tom. 3. inter opera Augustini) cap. 3. [Omnes nos manifestari oportet, &c. vt scilicet qui mala egerunt, eant in combustionem æternam, cum diabolo principe omnium malorū semper arsurū: qui verò bona fecerunt, eant in vitam æternam, regnaturi sine fine cum Christo, Rege omnium seculorum. Illi autem cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate sua prædestinauit ad regnum. Quia n. tales prædestinatio præparauit, vt regno digni essent, præparauit vtique secundum propositum vocandos, vt obediant; præparauit iustificandos, vt accepta gratia recte credant, & bene viuant; præparauit etiam glorificandos, vt Christi coheredes effecti, regnum cælorum sine fine possideant.] Vbi expressè docet B. Fulgentius, saluandos gratuita bonitate prædestinari ad regnum.

36 Et infra cap. 35. [Firmissime tene, inquit, & nullatenus dubites, omnes quos vasa misericordie gratuita bonitate Deus fecit, ante constitutionē mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo; neq; perire posse aliquem eorū, quos Deus prædestinauit ad regnum cælorum: nec quenquā eorum, quos non prædestinauit ad vitā, vlla posse ratione saluari. Prædestinatio n. illa gratuita donationis est præparatio, qua nos Apostolus ait prædestinatos in adoptionem filiorum Dei, per Iesum Christū, in ipsum.] Vbi promiscue Fulgentius vocat prædestinatos in adoptionem filiorum Dei, ad regnum cælorum, & ad vitam, item vasa misericordie gratuita bonitate facta.

Et rursum lib. de Incarnat. sub fin. Deus, inquit, qui hominem condidit, ipse prædestinatione sua, & donum illuminationis ad credendum, & donum perseverantia ad proficiendum, atq; permanentiū, & donum glorificationis ad regnandū, quibus dare voluit (non debuit) præparauit.

37 Item B. Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 35. aliàs 10. Deus ergo, inquit, his quos elegit sine meritis, dat unde ornentur & meritis. Et frustra dicitur, quod ratio operandi (sive causa, cur bene operentur) non sit in electis; cum etiam ad hoc operentur, vt electi sint. Vbi absolute docet Prosper, Deum eligere sine meritis: cum verò addit, nihilominus ad hoc operari, vt electi sint, sensus est, ad hoc operari, vt sint tales, quales electi sunt, seu quales electio postulat. Loqui autē B. Prosperum et de electione ad gloriā, patet ex sequenti cap. 36. vbi ait: Quamuis ergo quod statuit Deus, nulla possit ratione (non) fieri, studiat tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrii deuotior relaxatur: cū implende voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, vt per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum, fiant incrementa meritorum; & qui bona gesserint, non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur. Ob hoc enim in remotissimo ab humana cognitione secreto, præfinitio huius electionis abscondita est. Ita Prosper.

38 Cum autem B. Prosper & Fulgentius, S. Augustini discipuli fuerint, & studiosi sectatores, sed & authorem Hypognostici, ac libri de prædest. & gratia, circa S. Augustini tempora vixisse, & ex eo etiam doctrinam hauisse credibile sit, vel hinc etiam valde probabile redditur, S. Augustinum in eadem fuisse sententia, vt dub. præced. dictum.

Insuper Ecclesia Lugdunensis circa annum Christi DCCCL. lib. aduersus Ioannem Erigenam Sco-

tum, longè antemed. tom. 2. Auctarii Biblioth. veterum Patrum, pag. 1071. eandem sententiã apertè videtur tradere his verbis: [Consequens ergo omnino est, vt & illud, quod de Deo dicit Apostolus, Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, sicut est in prædestinatione Dei, ita rectissime intelligatur esse in voluntate Dei, id est, vt quos prædestinavit Deus, æterna voluntate sua, ex omni genere humano electo, ipsos omnes velit saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: videlicet quia, prædestinatio Dei ipsa est certissime voluntas Dei, & sicut de voluntate Dei veraciter omnino ab Apostolo dictum est, Cuius vult miseretur, & quem vult, indurat: ita & de prædestinatione Dei certissime teneatur: scilicet quod æterna prædestinatione, sicut æterna voluntate sua Iacob dilexit, Esau autem odio habuit, & ex eadem massa fecit aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliã: sed illud bonitate sua, istud iusto iudicio suo; vt essent alii vasa iræ, alii vasa misericordiæ. Si itaq; disputator iste, iuxta veritatem doctrinæ Apostolicæ, & sicut ipse sua argumentatione conclusit, hæc nobiscum fideliter & simpliciter teneat, nulla erit necessitas quæstionis, nullus exigetur labor syllogisticæ disputationis, sed sola in nobis regnabit tranquillitas pacis.] Vbi expressè sermo est de salute æterna, ad quam destinantur electi, quos aiunt à Deo factos vasa in honorem, sed bonitate, non iudicio Dei. &c.

39 Huc pertinet etiam, vt existimo, canon 25. Concilii Arausicani, vbi dicitur: *Aliquos verò ad malum diuina potestate prædestinatos esse non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni desestatione in illos anathema dicimus.* Vbi Concilium non solum ad malum culpæ, sed etiam pœnæ ac æternæ damnationis respexisse videtur. Ac proinde hoc ipso, quod negat Deum prædestinasse aliquos ad malum etiam pœnæ, intelligere videtur prædestinationem, qua Deus ex se aliquem ante præuisionem, meritorum destinat ad pœnam: & quia è conuerso agnoscit, Deum prædestinare aliquos ad bonum, tam gratiæ, quam gloriæ, indicat, Deum ex se ad hæc bona destinare.

40 Deniq; Concilium Valentinum in Gallia sub Lothario Imp. Anno DCCCLV. cap. 3. hanc eandem sententiã satis apertè tradit, vt agnoscit et Vasquez disp. 89. c. 8. n. 59. [Sed & de prædestinatione Dei, inquit Concilium, placuit & fideliter placet, iuxta auctoritatem Apostolicam, quæ dicit, Annon habet potestatem figulus lutum ex eadè massa facere aliud vas in honore, aliud verò in contumeliã?] Vbi & statim subiungit: [Quod si volens Deus ostendere iram, & notã facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta, siue præparata ad interitum, vt ostenderet diuitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Fidenterq; sciamus, prædestinatione electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem; in electione tñ saluandorum misericordiã Dei præcedere meritum bonum: in damnatione autè periturorum meritum malum præcedere iustitiam Dei iudicium. Prædestinatione autè Deum ea tantum stauisse, quæ ipse vel gratuita misericordia, vel iusto iudicio factus erat.] *Quibus verbis apertè dicitur, in electione saluandorum (nimirum ad vitam, vt supra dicitur, siue ad salutem æternam) misericordiam Dei præcedere*

re meritum bonum: Jex quo sequitur, electione illam priorem esse meritis bonis, adeoq; præscientiã meritorum: etsi in prædestinatione impiorum ad mortem (nimirum æternam) prior sit præscientia meriti mali. Atque hæc ex Patribus satis, præter ea, quæ ratione quanta dicturi sumus.

41 Tertiò igitur probatur assertio ratione. Prima sumitur ex eo, quod intentio seu voluntas efficax finis, prior est electione & præuisione absolutã mediõrum. Quia ratione vtuntur S. Thomas, Heruæus, Scotus, Durandus locis dub. præc. citatis: eamq; vt contra exceptiones Vasquii disp. 89. c. 9. n. 76. & c. 13. & aliorum recentiorum, firma subsistat, ita formamus: Qui ordinat, & naturis rerum conformiter, sibi, aut alteri vult finem & media, prius efficaciter vult & intendit finem, quàm eligat aut præsciat media; si modò & finis ipse cum mediis sit in potestate eiusdem operantis; & finis ille simul sit quiddam secundum æstimationem et operantis potius, quam media: At qui gloria habet se vt finis respectu meritorum, & est quiddam potius magisq; principaliter à Deo intentum, quam merita; nec dubium, quin vtraq; sint in potestate Dei plenissime constituta: Ergo cum Dei voluntas respectu gloriæ & meritorum, sit optimè ordinata, & naturis rerum conformis, prior est in Deo intentio seu voluntas efficax gloriæ, quam præscientiã, aut etiam electio seu prædestinatio meritorum seu mediõrum. Minor & consequentia patet.

42 Maior probatur inductione in omni humana consultatione ordinata. Et ratio est, Quia hoc ipso, quod finis ille est quiddam principalius secundum æstimationem operantis, quã media, ita vt media expectatur propter finem, quodq; et media absolute sunt in potestate operantis, sequitur finem esse magis volitum, & prius volitum, quam præsciantur aut eligantur media. Perinde n, tunc se habet voluntas illa finis pro altero, sicut se habet voluntas efficax finis respectu nostri; seu qua nobis volumus finem: quam priorè esse electione & præscientiã meritorum, nec Vasquez cit. c. 13. negat, neq; à quoquã iure negari potest, vt dictum dub. 2. Ea verò efficax voluntas seu intentio finis nostri non ob aliam causam prior est electione & præscientiã meritorum, nisi quia & finis ipse quiddam secundum æstimationem nostrã principalius est, & magis volitum, propter quod vtiq; volumus media; & quia simul in nostra potestate esse solent media, quib. possimus cõsequi finem. Quod adeo verum est, vt non nunquam et cum media non vsq; quaq; sunt in nostra potestate, sæpe tñ nihilominus prius velim⁹ & intendam⁹ efficaciter finem, quam præsciam⁹ aut eligam⁹ media, vt patet in iis, qui dignitatis alicuius consecutione intendunt, nec tñ voluntatem Collatoris aut Electorum in sua potestate habent. &c. Quod tamen quia cum imperfectione coniunctum est, Deo minime tribuendum est.

43 Et ideo dixi in illa Maiori primò, *si modo finis ipse cum mediis plene sit in potestate operantis.* Hac n. ratione excluditur illa Instantia Vasquii c. 13. n. 16. Quando pater desiderat filium suum in Theologia doctum euadere, & ex hoc desiderio tribuit illi omnia media necessaria, habet quidem voluntatem efficacem mediõrum, siquidem illa tribuit; at non habet voluntatem efficacem finis, sed solum simplex desiderium: Hoc enim non ob aliam causam fit, vt ipsemet Vasquez ibidem fatetur, quã quia talis finis,

vna cum omnibus mediis requisitis, eius potestati non subest: si autem parens hæc vtraque in sua haberet potestate, certe vti quisq; studiosi? sibi ipsi efficaciter vult doctrinâ prius, quâ eligat media; ita hoc ipsum etiam faceret prudens quisq; parens erga filiû.

44 Dixi secundò. Si modo finis ille secundum æstimationem operantis sit aliquid potius & principalius intentum, quam media. Sic enim excluditur altera illa instantia Vasquii ibidem num. 117. & c. 9. n. 76. quam alii et recentiores frequenter inculcant; quod nimirum, si Rex aliquis proponat præmium aliquod certantibus, ea lege, vt nullus illo potiatur, nisi victor, certè nunquã efficaciter decernat alicui dare præmium, quantumuis eum amet, & præmium ei desideret, antequã victorẽ videat; etsi possit quidem ei meliora arma, meliorem equũ, & alia necessaria ad certamen tribuere & c. Respondeo, id quidem verissimum esse; sed causam nõ esse, quod bonum illud certantibus pro fine propositum velit per modũ præmii, nec quia præmiũ illud est finis aliorum, non ipsius Regis, vt putat Vasquez loc. cit. sed quia præmium certantibus propositum, secundum æstimationem Regis, reuera non est aliquid potius & principalius intentum seu volitum, quam certamen & victoria, sed potius minus principaliter. Rex n. toto illo negotio nihil aliud sibi propositum, habens quam aut suam recreationem, aut peritiam, armorum in suis subditis, magis principaliter vult & intendit spectaculũ, siue exercitiũ certaminis (quod est medium propinquius fini intento) quam distributionem præmiorum: quam nec vult Princeps nisi secundariò & velut medium remotius, propter exercitationis studium acuendum; & insuper etiam ægrè nonnunquam post finitum certamen peragere solet; cum tamen ipso certamine magnopere fuerit delectatus, & c.

45 Secus fit in proposito. Cum enim gloria ex ipsa rei natura sit finis mediõrum gratiæ, ideo secundũ ipsam quoq; Dei voluntatem, est aliquid intentione principalius ac potius electio mediõrum. Quod si Princeps quoq; magis æstimaret & intenderet distributionem præmiorum, quam certamen aut victoriam, certè prius efficaciter eam distributionem saltem generatim intenderet, quam certamen: quanquam nec hoc quidem casu vlli particulatim intenderet præmii consecutionem, quam sciret ipsum fore victorem; nimirum ob alteram illam causam antea positã, quia medium illud victoriæ ab ipsomet Rege ad eum finẽ requisitum non subiacet plenè ipsius potestati: at, verò si ea ipsa victoria illius potestati plenè subiaceret, ac simul propter eam causam meliora arma, meliorem equum, & alia necessaria, ex quibus certa victoriæ consecutio dependeret, vni præ aliis tribueret, certissimum est, eum hoc ipso tunc etiam in particulari vni præ aliis voliturum præmium, etiam antea, absolutam præscientiam victoriæ; quandoquidem non ob aliam causam eidem præ aliis ea media destinavit, ex quibus certò sequitur victoria, nisi quia prius eidem voluit victoriam. Ita verò accidere in proposito, mox sequenti ratione declarabitur.

46 Secunda igitur ratio est. Quisquis ad aliquem finem consequendum sibi vel alteri, sciens & prudens seligit & secernit media efficaciam, qua talia sunt, & quibus ipse etiam præcognoscit se finem eiusmodi infallibiliter esse consecuturum, eum moraliter &

iuxta consuetum operandi modum necesse est prius efficaciter intendisse finem: Sed Deus ad finem gloriæ saluandis acquirendum seu procurandum, sciens & prudens seligit & secernit media efficaciam, qua talia sunt, puta gratiam congruam, quia congrua est, & quã iam ante per scientiã mediã præcognouerat, se finem huiusmodi infallibiliter consecuturum: Ergo Deus prius ratione & ante præscientiam absolutã eiusmodi mediõrum, seu meritorum, efficaciter intendit & prædecernit electis finem gloriæ. Minor patet ex dictis supra dub. 1. nec eã negat Vasquez disp. 89. cap. 13. præsertim num. 127. & disp. 98. cap. 6.

47 Maior probatur, tum ratione, quia delectus & electio efficaciam mediõrum ad finem, qua talia sunt; non oritur nisi ex efficaci intentione finis: tum in reductione in omni planè materia. Nã si quis ad morbum depellendum inter plura media dubia, norit efficax remedium esse venæ sectionem, & ob eam ipsã causam ad eum finem seligit & secernit venæ sectionem tanquam efficax medium, is sanè hoc ipso ostendit se prius efficaciter & absolute, & non tantum sub conditione & inefficaci quadam voluntate voluisse sanitatẽ. Et similiter si quis Dominus aut parens, pro equestri certamine, ad parandum præmiũ seruo aut filio, ex multis aliis speciali delectu secerneret equum & arma, quibus nosset infallibiliter, seruum illũ aut filium præmium esse consecuturum, is sanè eo ipso ostenderet, se prius efficaciter eidẽ voluisse præmiũ, etiam ante præuisionem absolutam pugnæ & victoriæ & c. Quod verò id ordinariè non accidat, causa est, quia Dominus aut parens talem equum aut arma concedens, non infallibiliter nouit, iis rebus vtentẽ victoriam consecuturum: quare prudenter non solet aut potest, ante præuisionem absolutam victoriæ, ei efficaciter præmium velle.

48 Nec video planè, quid ad hoc argumentũ responderi possit, nisi quis, vt nonnulli recentiores faciunt, neget minorem; ad quam negationem illi consecutione quadam, ex illa sua, quam post præuisionem meritorum docent prædestinatione, necessario inducti sunt; contra quos tamen supra dub. 2. efficaciter disseruimus, præterquam quod nec ipsi negant, subinde pro multis sanctis specialia eiusmodi & efficaciam auxilia gratiæ fuisse selecta: ex quo sequitur, saltem hos fuisse ad gloriam electos ante præuisa merita; certè plures longè, quam quos ipsi ita electos assignarunt.

49 Sed & abstrahendo ab illa controuersia de selectione mediõrum efficacium, potest tertio alia ratione, paucis terminis mutatis, eadẽ assertio confirmari in hunc modum. Quisquis ad finem aliquem consequendum sciens & prudens adhibere decernit ea media, quibus antea infallibiliter nouerat, se finem consecuturum, si ea adhiberet, is hoc ipso certè, etiam ante præuisionem absolutam mediõrum, efficaciter eum finem intendit: Sed Deus ad cælestem beatitudinem saluandis procurandam, sciens & prudens pro iisdem decernit ea gratiæ auxilia, quibus antea per scientiam mediam nouerat, infallibiliter futurum, vt beatitudinem illi consequerentur, si eis obtingerent: Ergo hoc ipso etiam ante præuisionem absolutam mediõrum, efficaciter eis intendit beatitudinem. Minor constat, Maior probatur. Quia efficaciter finem intendere nihil aliud esse videtur,

quàm uelle per media efficacia (seu quæ efficacia futura nouit) finem re ipsa consequi. Nec ad hoc quicquam responderi potest; nisi forte dicendo, talem virtualiter solum, non formaliter habere efficacem intentionem finis: quod tamen ipsum etiam contra aduersarios facit; quandoquidem moraliter loquendo ad præsens institutum, idem ferè est, virtualiter, & formaliter finem intendere. &c.

50 Quarta ratio est. Si Deus nos gratis, & ante præuisionem absolutam futurorum, prædestinauit ad gratiam congruam finalem, seu cum actuali perseverantia infallibiliter coniunctam, tum nulla ratio est, cur non etiam gratis prædestinaret ad gloriam: Sed verum est antecedens &c. ut tum ex Scriptura. SS. Patribus, ac præsertim Augustino hic & q. 4. dub. 5. & satis è agnoscat Vasquez disp. 89 n. 111. & 127. & disp. 91. c. 17. & 18. & d. 98. c. 4. quando primam gratiam congruam prædestinatorum propriam, absque causa ex parte nostra, & ante præuisionem absolutam, prædestinari, ex consuetudine docet. Maior probatur Quia moraliter idem sunt gratia congrua electorū propria, infallibiliter coniunctam habens perseverantiam finalem; & ipsa perseverantia finalis; sicut & perseverantia finalis, moraliter idè quasi est eū consecutione ipsius gloriæ: Si ergo hæc præuisionem ante præuisionem cooperationis nostræ, quidni èt gloria? præsertim cū si vnus ex vltimis effectibus gratiæ decernitur, ante præuisionem absolutam meritorū seu mediorum, nulla ratio sit, cur id negetur de vltimo, ut sapi? dixim?

51 Quinta ratio est. Inter varias sententias de prædestinatione, ea sententia, cæteris paribus, præferenda est, quæ cum reprobis nulla ex parte præiudicat, magis & diuinæ prouidentie perfectionem decet, & naturis rerum congruit, & gratiam, amorem, ac beneuolentiam Dei gratuitam erga prædestinatos quolibet magis commendat: Sed hoc facit hæc nostra sententia, de gratuita prædestinatione ad gloriam, ante præuisa merita. Ergo &c. Maior facile conceditur, quia talis sententia hoc ipso facit ad exaltandam magis diuinam gloriam, & excitandum in nobis gratitudinis simul & humilitatis affectum.

Minor probatur & declaratur. Primò enim cætera esse paria, ex dictis patet. Quia hæc nostra sententia, siue autoritate, siue ratione agatur, nulli alteri est secunda: imò ut probatum est, & magis patebit ex solutione argumentorum, Scripturæ sacræ, S. Augustino, aliis Patribus, Scholasticis, ac rationi multò magis consentanea est, quàm uilla ex oppositis sententiis.

52 Secundò eam reprobis nullo modo præiudicare, ita declaratur. In primis n. in iis optimè tuetur libertatem & facultatem salutis consequenda, ut sequenti dubio, & q. 6. dub. 3. manifestum fiet. Deinde eundè in Deo erga reprobos affectum beneuolentiæ tuetur ac defendit, quem & opposita sententia eidè tribuit: nimirum tum affectum simplicem, quo Deus omnibus hominibus èt reprobis uult gloriam; tum uoluntatem conditionatam, qua Deus omnibus hominibus seu creaturis intelligentibus uult gloriam re ipsa conferre, si aut ipsi sibi, aut eis alii destinata, & in commune omnibus proposita & prouisa media applicarent: denique uoluntatem antecedentem eorum mediorum, quibus etiam reprobi possent saluari. Quam triplicem solam, & non aliam utiq; uoluntatem salutis erga reprobos, oppositæ sententiæ auctores Deo tri-

buunt; nec minus libenter etiam nos ipsi iuxta nostram sententiam Deo tribuimus, ut dictum assert. 1. & magis patebit assert. 3. Quid ergo plus beneuolentiæ diuinæ erga reprobos tribuunt oppositæ sententiæ auctores, quod nos ipsi non etiam tribuamus? hoc solum excepto, quod eis non concedimus eam prærogatiuam beneuolentiæ diuinæ, quam cum electis quidem nos tribuimus, ipsi tamen Deo èt circa electos denegant, nimirum prædestinationem ad gloriam ante præuisionem meritorum, ut mox dicemus.

53 Tertiò magis consentaneam esse hanc sententiam diuinæ prouidentie, perfectioni, & naturis rerum, probatur, quia perfectior est prouidentie ad finem, aliquid perducens modus; si quis ex se ipso, non expectata quasi & emendata prius alterius operâ, ipsum ad finem efficaciter destinet, quam si quis eam destinationem quasi præcario ab altero dependentem habeat: deinde hic modus agendi naturis rerum & consuetudine prouidentie humanæ est conuenientissimus; ut prius scilicet efficaciter intendatur finis, quàm procurentur media; sicut diximus.

Quartò magis etiam commendare amorem Dei erga prædestinatos, ex eo patet, quia cæteris paribus, maioris est beneuolentiæ, ex se ipso & gratis alicui uelle efficaciter bonum aliquod, quàm ob merita; maioris enim amoris est, gratis & liberaliter, quàm ex debito uelle alicui bonum; magis etiam ad commendationem diuinæ gratiæ, nostramq; subiectionem erga Deum facit, si fateamur, in ipsa èt prædestinatione ad gloriam, nihil nos Deo priores quodammodo contulisse, sed gratis tantum ab eo beneficium nobis fuisse prædestinatum: atqui iuxta nostram sententiam, Deus nulla re à nobis prius oblata, etiam efficaci uoluntate, ante præuisa merita, gratis & liberaliter uult prædestinatis gloriam; ex opposita autem sententia non nisi ex debito, nec nisi post præuisa & accepta quasi prius nostra merita &c. Ergo &c.

54 Sexta ratio est. Si n. sententiam illam de prædestinatione ad gloriam ex præcognitione meritorum, siue ex præuisis meritis, defenderunt olim ac propugnarunt Massilienses, contra S. Augustinum; Augustinus autem contra eosdè oppositum sentit, tum ea certe merito postponitur oppositæ sententiæ; sed uerè est antecedens: Ergo &c. Maior patet ex dictis supra hoc dub. quia tamen non omnis omnino doctrina Augustini, quæ in disputatione contra Massilienses, aut èt Pelagianos tradit, tanquàm de fide certa à Põtificibus & Conciliis sit approbata & definita, neq; fortè ab ipso met Augustino ea uniuersim certa ex fide existimata fuerit, sed ea solum, quæ per se & ex instituto contra eos fuit controuersa, gratiæ necessitatem respiciens; tamen Augustini doctrina in hac re cuiuscunq; oppositæ doctrinæ iure optimo præfertur, ut ibidem dictum.

55 Minor præter ea, quæ dub. præced. pro Augustini sententia retulim?, probatur ex epistola Prosperi ad Augustinum, quæ præfigitur libro Augustini de prædest. sanct. ubi ita Prosper Massiliensium sententiam refert. [Hæc, inquit, ipsorum definitio ac progressio est; omnè quidè hominè Adam peccante peccasse, & neminè per opera sua, sed per Dei gratiæ regeneratione saluati, uniuersis tñ hominibus propitiatiõne, quæ est in Sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, ut quicunq; ad fidem & ad baptismum accedere uoluerint, salui esse possint. Qui autè credi-

turi sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sitiuanda, mansuri sunt, præcisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse, præviderit.] Quæ sententia tota, excepto eo, quod obiter simul verbis illis, *quæ deinceps per Dei gratiam sitiuanda*, indicatur, Massiliensès fidei ac salutis initium libero arbitrio adscripsisse, est illa ipsa sententia, quam oppugnamus, nimirum prædestinationem ad regnum cælorum (de hoc enim etiam expressè loquuntur prædicta verba) esse ex præscientia dignitatis & meritorum, ac perseuerantiae.

56 Cui mox ibidem opponitur contraria Augustini sententia, his verbis: [Hoc autem propositum, vocationis Dei, quo velante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & reijciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori, alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis adferre: eo quod in utramque partem superfluus labor sit, si neque reiectus vlla industria possit intrare, neque electus vlla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo segerint, non posse aliud erga eos, quam Deus definiit, accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem: cum si aliud habeat prædestinantis electio, cassâ sit annitens intentio. Remoueri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constituto humanas præueniat voluntates: & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem; aut diuersarum naturarum dici Dominum conditorem, si nemo aliud possit esse, quam factus sit.] Quibus verbis, ut in oppositis & contradictorijs sententijs, affirmatio & negatio sit de eodem, id quod ex Augustini sententia refertur, secundum quod placuit Creatori, alios vasa honoris, alios vasa contumeliæ esse creatos, intelligendum est etiam de honore Regni, seu sempiternæ gloriæ, de qua antea in referenda Massiliensium sententia etiam sermo erat, ut dictum. Sed & quia auctores electionis ad gloriam ex præuisis solum meritis, iisdem plane argumentis nostram sententiam impediunt, quibus Augustini sententiam à Massiliensibus oppugnatam fuisse hoc loco retulimus, ut sequenti dubio patebit, colligitur, nostram sententiam eandem cum Augustini; oppositam verò, quantum præcisè attinet ad electionem ad gloriam ex præuisis meritis, & promiscuam gratiæ prædestinationem, eandem cum Massiliensium sententia fuisse: quod nonnulli etiam ex ipsis eius sententiæ auctoribus agnoscunt.

57 Denique idem colligitur ex alijs verbis eiusdem Prosperi ibidem, quando Augustini sententiæ ex sensu Massiliensium obijcit & opponit aliorum Patrum auctoritatem. *Illud etiam qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demones, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, pene omnium par inuenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuscuiusq; præviderit, & sub ipso gratiæ adiutorio, in qua futurus esset voluntate & actione præscierit.* Et paulò superius petit etiam ab Augustino explicari Prosper, *utrum præscientia diuina quo-*

dam ordine sit submixta propositio, vel contrarietate aut cum quadam discrimine in paruulis solum Dei propositum, in adultis verò etiam præscientia videatur existere, &c. Vbi quod obijcitur Augustino, plerisque Patres ceteros propositum & prædestinationem Dei notissimè secundum præscientiam recepisse, in primis etiam de prædestinatione ad gloriam videtur intelligendum: licet Augustinus nunquam admittat, eos sibi hac in re contrarium docuisse, ut seq. dub. dicitur. Similia habet Hilarius in subsequente ibidem epistola. Plura dub. seq.

58 His accedit denique, quod *Christus ipse lumen (& exemplar) prædestinationis & gratiæ nostræ, nullis humanis præcedentibus meritis, cum ipse sit homo, liberator factus est hominum*, ut argumentatur etiam Augustinus lib. de prædest. Sanct. cap. 12. & 15. Et lib. de bono perseuer. cap. 24. ait idem Augustinus: *Qui ergo hunc fecit ex semine David hominem iustum, qui nunquam esset iniustus, sine villo merito præcedentis voluntatis eius, ipse ex iniustus facit iustos sine villo merito præcedentis voluntatis ipsorum, &c.*

Assertio IV. Potuit tamen Deus absolute omnibus prædestinare gloriam primum post præscientiam meritorum; eamque potentiam, coniunctam cum voluntate saluandi conditionata, erga ceteros, qui gratis ab initio prædestinati non sunt, habet & retinet, etiam suppositâ primâ illâ prædestinatione gratuita. Hanc assertionem constituo ex mente auctorum secundæ sententiæ; quamuis oppositum videatur persuasum nonnullis, qui ex sola per se natura rerum assertionem præcedentem sibi videntur euincere. Scorus tamen quia, ut dub. præced. retuli, suam illam sententiam solum ut probabiliorem tueri, non videtur ab hac assertionem admodum alienus, quam inter alios etiam tradit Suarez lib. 1. de prædest. c. 12. n. 16. & aperte etiam Marsilius in 1. q. 41. art. 2. vbi ait: *Prædestinatio non sic transit in præteritum, quin Deum possit prædestinare eum (reprobum) ex merito, & gratiæ concessione, cui tamen nunquam concedit, &c.* Idè ex mète Scoti, cum Licheto, expressè tradit Bargius in 1. d. 41. q. vn. referendus infra q. 7. dub. 1.

59 Ratio primæ partis est: quia assertio illa, quod Deus re ipsa gratis omnes prædestinat, nititur quidem non solum auctoritate & reuelatione, seu doctrina sacræ Scripturæ, & SS. Patrum ac Doctorum, sed etiam ratione ex natura rei petita, ut ex dictis colligitur; at verò solâ facta suppositione duplici, quarum vtraque per absolutam Dei potentiam abesse potuit. Prima, quod Deus accommodatè naturis rerum, & non præter consuetum rerum ordinem; tam gloriam, quam media ad gloriam, saluandis decreuerit; nimirum illam potius, & hæc propter illam, cum tamen Deus, utpote liber in volitione efficaci rerum, creaturarum, ut dictum disp. 2. quæst. 5. dub. 5. absolute loquendo potuerit velle potius merita seu media, quam gloriam: sicut Rex potius ac principalius vult certamen, quam distributionem præmij, quod certantibus proponit. Altera hypothesis est; quod Deus ex singulari amore ac beneuolentia erga saluandos, peculiari prouidentia voluerit & selegerit illis gratiam congruam prædestinatorum propriam, cum tamen absolute potuisset communi & ordinaria solum prouidentia, obuia, & secundum communem cursum rerum occurrentia qualibet, siue con-

grua, siue efficacia eis auxilia gratiæ promiscuè discernere.

60 Ratio secundæ partis est; tum quia, vt benè aduertit Bargius loco citato. Deus in eo signo erga non prædestinatos tantum se habuit negativè; & ideo nihil positum est prædestinationi eorundem repugnans, saltem antecedenter. Tum quia decretum gratuitum prædestinationis, licet ad tot & tales personas particulares determinatum sit, non tamen includit, nec virtute etiam continet absolutum decretum cæteros à gloria excludendi: quare cum Deus aliàs habeat voluntatem conditionatam saluandi omnes, vt assertione 1. dictum est, nec verò Dei voluntas aut potentia mutetur, sit vt eam voluntatem habeat & facultatem, etiam supposità prædestinatione illà gratuità: quæ formaliter vt sic, & in actu signato non est de omnibus saluandis, cum exclusione cæterorum; quasi Deus formaliter intenderit omnes saluandos non nisi gratis prædestinare, nec vllum vellet saluare etiam conditionata voluntate, nisi gratis prædestinatum; sed terminatur ad omnes saluandos, quasi consecutiue & à posteriori; quia præter hos, etsi plures possent, re ipsa tamen nullus saluatur, vt à posteriore & ex reuelatione potissimum colligitur; quo sensu fortasse Scotus loc. cit. dixit, postis illis negationibus, *Iudam fore finaliter peccatorem*, de qua re plura dub. seq. & infra quæst. 7. dub. 4.

61 Assertio V. Sed & præter prædestinationem seu electionem primam ad gloriam, ante præuisionem meritorum factam, & ad intentionis ordinem spectantem, datur alia in Deo quasi electio seu voluntas efficax conferendæ gloriæ, post præuisionem meritorum, ad executionis ordinem pertinens. Ita docent Bellarminus lib. 2. de grat. & liber. arbit. cap. 14. & Suarez hic lib. 1. cap. 8. num. 50. & lib. 3. de auxili. cap. 18. num. 4. & consentiunt communiter Thomistæ recentiores; atque est ex mente omnium, qui defendunt primam electionem ad gloriam ante præuisionem merita; eandemque assertionem iam superius etiam supposuimus & explicauimus partim dub. 3. partim dub. 1. assertione 3. ex quibus etiam breuiter probatur assertio. Primò quia quando finis re ipsa obtineri non potest, etiam post omnia cætera media adhibita, absque speciali applicatione voluntaria eius, qui finem sibi vel alteri intendit, vt in proposito accidit, vniuersum necessarium est, ad finem re ipsa consequendum, vt post primam intentionem finis, alia concipiatur voluntas executiua & applicatiua finis; vt superius dictum quæstione 10. dubio 5. assertione 9. Secundò; quia constat Deum re ipsa conferre gloriam ex præuisionis meritis; ergo habet æternam voluntatem gloriam ex præuisionis meritis conferendi; quæ voluntas non potest non esse posterior præuisionem meritorum, cum hanc veluti rationem seu conditionem supponat.

62 Tantum abest, vt ea duplicis voluntatis distinctio solum effugij causa sit excogitata, vt pluribus dictum dub. 2. assert. 3. & supra q. 10. dub. 5. Taceo electionem illam quasi externam & transeuntem, qua re ipsa denique inter saluandos & damnandos fit discretio, iuxta illud Matth. 12. v. 49. *Elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione*

seculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, &c. Plura loc. citatis.

Meminit etiam duplicis eiusmodi electionis Augustinus cum in alijs locis, vt dictum dub. 3. tum lib. de prædestinat. Sanct. cap. 17. vbi ait: *Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua (veluti causa) Deus sua futura facta præsciuit: electi autem sunt de mundo ea vocatione, qua Deus id quod prædestinavit impleuit.* Vbi expressè ponit Augustinus aliam electionem, vt ita dicam quasi prædestinatiua, aliam executiuam, qua Deus id quod prædestinavit impleuit.

63 Verum præter ea, quæ locis citatis dissoluimus, obijciuntur primò. In locis Scripturæ similibus, vt Roman. 9. *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Et 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, &c. quæ præparauit Deus is qui diligunt illum*, præparatio pertinet ad voluntatem prædestinantem: Ergo & in alijs Scripturæ, aut SS. Patrum locis.

Secundò talis distinctio voluntatis prædestinantis & exequentis non datur circa gratiam: ergo nec circa gloriam.

Tertiò. Si licet ita distinguere & diuidere diuinam voluntatem in prædestinatione, licebit etiam, circa reprobationem ponere in Deo duplicem voluntatem; vnam exequentem, quæ respiciat futura peccata; alteram prædestinantem, seu potius reprobantem, quæ antecedit præuisionem peccatorum. Hæc autem secunda voluntas sapit Calvinismum.

64 Ad primum respondeo, negando consequentiam: quia cum in ipsa Scriptura, & apud SS. Patres, quibusdam locis prædestinatio, seu præparatio ad gloriam tribuatur gratiæ Dei misericordiæ; vt in ipso etiam citato loco Rom. 9. in alijs autem præparatio & collatio gloriæ tribuatur præuisionis meritis, vt ex dictis constat, meritò in Scriptura & Patribus distinguitur duplex ista voluntas in Deo; ad quam vtramuis diuerso modo referri potest etiam citatum illud 1. Cor. 2. nimirum ad prædestinantem; si illud, *qui diligunt illum*, accipiatur non casualiter, sed per appositionem & materialiter, seu consecutiue: aliàs ad exequentem.

Ad secundum respondeo, diuersam esse rationem gratiæ & gloriæ; quia cum gratia prædestinatorum propria, in ipsa etiam executione non tribuatur, meritis, nulla potest circa illam distingui voluntas executiua ex præuisionis meritis; secus est de gloria, vt dictum.

65 Ad tertium negatur sequela; loquendo de reprobatione simpliciter & adæquatè. Ratio discriminationis manifesta est. Quia cum Deus sit infinita bonitas, nemini ex se & ante præuisionem demeritorum vult damnationem: sicut ex se & ante præuisionem meritorum vult gloriam. Si autem solum loquatur de reprobatione negatiua, seu inadæquatè, tum sanè præter eam (positiuam) quæ ex præuisionis meritis facta est, licebit distinguere aliam (negatiua) priorem præuisionem meritorum; neque hæc doctrina sapit Calvinismum; sed sonat & tueretur Apostolicum illud Rom. 9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, &c.* vt pluribus dictetur q. 7. dub. 3. & 4.

66 Assertio VI. Prædestinatio ad gloriam, seu pri-

ma voluntas efficax gloriæ conferendæ, de qualo-
quimur, quatenus ratione prior est præscientia &
ordinatione mediorum, in primo illo rationis signo,
non fuit planè abstracta, & quasi confusa ac gene-
ralis; nec ex parte saluandorum, abstrahens scilicet
à personis saluandis in particulari; nec ex parte
modi conferendæ gloriæ, quasi Deus in primo
signo præcisè voluerit dare illis hominibus glo-
riam, nihil statuendo de eius conditione, an gratis
vel non gratis esset danda: sed fuit voluntas effi-
cax dandi gloriæ saluandis in particulari, idque
vel per modum coronæ & præmij adultis, vel gra-
tis & merè liberaliter paruulis. Ita Suarez lib. 3. de
auxil. cap. 19. à num. 25. & quoad primam partem
est communis Doctorum. Quamvis enim Heræus
in 1. dist. 41. quæst. 1. a. 1. citatus dub. 3. vii & Duran-
dus in 1. d. 41. q. 1. num. 6. quem inferius ad verbum
refero dub. 10 in fin. dixerint, Deum in priori aliquo
signo solum habuisse voluntatem conferendi glo-
riam aliquibus indeterminatè (quod ferè etiam sen-
tit Molina q. 23. a. 5. d. 1. memb. 8. citatus verbatim
dub. 2. nec sanè videtur absurdum & improbabile)
apertè tamen ijdem interim simul in aliquo poste-
riori signo concedunt gratuitam prædestinationem
ad gloriæ, etiam ad certas personas determinatam,
de qua in proposita assertionem loquimur, cum S.
Thoma quæst. 23. art. 7. Ratio est. Quia negari non
potest, certum esse Deo numerum prædestinatorum,
tam formaliter, quam materialiter; ita ut Deus in ali-
quo signo particulatim præstinet omnes & singu-
los saluandos: at verò hæc prædefinitio & determi-
natio non est facta primum post præuisionem me-
ritorum, seu mediorum, ut probauimus assert. 3. Ergo
datur in Deo particularis & determinata electio
singulorum ad gloriæ ante præuisa merita; de qua
loquimur.

67 Secunda pars probatur eadem ratione. Quia a-
lias sine causa sufficiente, & abique necessitate, Deo
tribuitur abstracta eiusmodi voluntas, & secundum
ipsam etiam rationem intentionis confusa, ex parte
modi conferendi gloriæ; cum tamen interim æ-
que facile & conuenienter tribui Deo possit in eo in-
stanti voluntas determinata, ex parte obiecti, confe-
rendi gloriæ, nimirum aut per modum præmij, aut
per modum liberalis doni. Accedit quod ex opposi-
ta ratione fatendum esset, stante eo præcisò decreto
dandi gloriæ electis, eos consecuturos esse gloriæ,
etiam si non haberent merita, quandoquidem non
fuit impossibile, etiam stante priori illo decreto, De-
um non habere posterius illud decretum circa meri-
ta: etsi itidem abstracta illa voluntatis ratio in Deo,
non sit planè absurda aut improbabilis, nec vllam
mutationem decreti diuini, aut repugnantiam in-
uoluat, ut rectè etiam docet & declarat Suarez loc.
cit. num. 26.

68 Ex quibus etiam sequitur tertia pars assertionis;
quæ ita vterius declaratur. Nam quia Deus scientia
media cognouit omnes omnium hominum ætates,
mores, voluntates, vias & exitus, sub hac vel illa con-
ditione futuros, facile in instanti, eodemque ratio-
nis signo, poterat sibi certum numerum saluando-
rum deligere, quibus per modum intentionis in
primo illo signo vellet gloriæ, siue per modum præ-
mij & coronæ, siue per modum liberalis doni.

Neque verò hinc sequitur, decretum illud sup-
ponere aut præscientiam meritum, aut electio-
nem formalem mediorum seu meritum: sed so-
lum virtute & implicite includere voluntatem dan-
di merita ei, qui ita prædestinatur ad gloriæ: ex qua
mox postea sequitur formalis electio & determina-
tio mediorum & meritum, per quam scilicet De-
us decernit homini cõferre in particulari etiam me-
rita, omnemque gratiam & auxilia necessaria & ac-
commodata, ut infallibiliter per merita tot, tanta, &
talia obtineat illam coronam.

69 Multò minus sequitur, prædestinationem illam
ad gloriæ non fuisse gratuitam: quia voluntas de-
stinans alijs bonum aliquod per modum præmij
potest esse gratuita, tamen obiectum eius volun-
tatis, quod est collatio boni per modum præmij seu
mercedis, non sit gratuita, sed oneroso titulo facien-
da; & præstari adeo potest alteri gratia in ipsa desti-
natione rei oneroso titulo conferendæ, licet actua-
lis collatio non sit gratia, ut quotidie videmus tum
in destinatione liberali Principis, qua certantibus &
vincentibus præmium destinatur, tum etiam in ipsa
conductione operarum; gratis enim & planè liberè
concipimus voluntatem hunc vel illum operarium
conducendi; ac sæpe ea re præstatur magnum bene-
ficium & gratia conductis; neque tamen gratis con-
fertur, aut in ipsa executione gratis conferenda de-
cernitur merces operarijs conductis, ut rursus di-
cetur dub. seq.

70 Cum ergo hæc ratio prædestinandi ad gloriæ, &
secundum se (quantum præcisè ad rationem inten-
tionis spectat) perfectissima sit, & facile intelli-
gibile, nec vlla prematur difficultate; quia nec sequi-
tur, aut gloriæ gratis esse dandam, ex vi illius, ne-
que mutari decretum diuinum, si iustitia exigatur,
neque dandam esse gloriæ ex vi illius decreti, si
non habeantur merita, siquidem tunc non posset
esse præmium aut corona iustitiae, merito modus hic
prædestinandæ gloriæ cæteris præfertur, ut bene
Suarez.

Dices. Aut hæc voluntas gloriæ conferendæ per
modum coronæ & præmij continet saltem implici-
tè determinatam electionem mediorum; aut conti-
net solum indeterminatam voluntatem meritum.
Non primum, quia voluntas gloriæ conferendæ et-
iam tali gradu certo & determinato per modum
præmij, indifferenter se habet ad varios meritum
modos & rationes, quibus ea executioni mandari
potest. Nec secundum; quia tunc voluntas illa esset
confusa ex parte meritum, &c.

Respondeo, continere solum voluntatem con-
ferendi tot vel talia media, quot vel qualia sufficiunt
ad destinatum gradum gloriæ, ut probat adducta ra-
tio. Neque absurdum est, voluntatem respectu ali-
cuius obiecti, in aliquo rationis signo, non esse de-
terminatam in Deo; ut dictum dub. 2. & rursus,
dicetur dubio decimo, præterquam quod ex no-
stra sententia voluntas illa conferendæ gloriæ
per modum præmij, sit planè determinata in
ratione intentionis, nec ea ratione, & abstrahendo
ab electione mediorum, magis determinari
possit.

71 Assertio VII. Quæ hæctenus de prædestinatio-
ne hominum in natura lapsa dicta sunt, seruatà

proportione, etiam de prædestinatione eorundem in statu naturæ integræ, atque etiam de prædestinatione Angelorum intelligenda sunt. Hanc assertionem contra quosdam, qui hic aliqua distinctione vtuntur, tradit Suarez hic lib. 1. de prædestinat. cap. 9. numero 2. 4. & 11. ex cõmuni sententia auctorum, quos dubio præcedenti tertio loco pronostia sententia, seu gratuita prædestinatione ad gloriam retulimus: vniuersim enim isti de prædestinatione loquuntur; neque inter eos, aut statum vtrumque naturæ lapsæ & integræ distinguunt. Rationes etiam & authoritates vtrinque sunt vniuersales; nec potest congrua aliqua diuersitatis ratio assignari. Neque verum est, Augustinum lib. de corrept. & grat. cap. 10 & 11. de Angelis, & alibi passim de hominibus in statu naturæ integræ oppositum docere; eamque esse ferè communem eruditorum apprehensionem, &c. hæc enim omnia absque fundamento dicuntur. Certè S. Thomas hic quæst. 23. artic. 1. ad 3. dum ait: *Prædestinari conuenit Angelis, sicut & hominibus*, satis significat, se in hac materia, ac speciatim postea artic. 4. vbi electionem ad gloriam priorem facit prædestinatione mediorum, generatim de omnium tam Angelorum, quam hominum prædestinatione loqui. Sicut etiam vtrorumque in ordine ad gratiam eandem rationem esse indicat S. Thomas quæst. 20. artic. 4. ad 2. quicquid Ockam, Gabriel, & Catharinus dubio præcedenti, pro secunda sententia citati vniuersim negent, Angelos ante præuisionem meritorum fuisse prædestinatos ad gloriam; cum tamen de quibusdam hominibus id concedant: & quicquid etiam alij nonnulli quosdam ex Angelis ita prædestinatos dicant, alios non item; apud Suarez loco citato. Ratio specialis quoad statum naturæ integræ & lapsæ, est, quia prædestinatio hominum etiam in statu naturæ lapsæ viuentium, facta est ante præuisionem peccati, vt dicitur dub. 8. non est ergo diuersa ab ea, quæ fuisset in statu naturæ integræ, siue Iustitiæ originalis. Plura dubio sequenti.

D V B I V M V.

Qua ratione diluenda sint obiectiones contra gratuitam prædestinationem ad gratiam & gloriam.

Ad S. Thom. 1. p. q. 23. a. 5.

Explicata veriori sententia de Prædestinatione, & suppositis quasi fundamenti loco ijs, quæ hac quæst. dub. 1. 3. & 4. & disput. 2. quæst. 5. dub. 5. docuimus, diluenda sunt obiectiones, quæ aduersus eam obijciuntur à contrariæ sententiæ authoribus; quæ duplicis sunt generis. Quædam solum impugnant gratuitam prædestinationem ad gloriam: alia ex æquo impugnant tum gratuitam prædestinationem ad gloriam, tum etiam discretionem & selectionem gratiæ congruæ, electorum propriæ. Prioris generis referuntur & opponuntur à

Vasquio disp. 89. cap. 2. 3. 6. 7. 9. 11. posterioris generis ab alijs.

Primò igitur contra hanc gratuitam prædestinationem ad gloriam obijciuntur omnia illa Scripturæ loca, quibus & vita æterna tanquam merces destinatur rectè operantibus, & simul etiam docetur, gloriam à Deo reipsa conferri ob præuisa aut exhibitæ merita, vt Matth. 25. *Venite benedicti Patri, possidere paratum vobis regnum ab origine mundi: Esurienti enim, & dedistis mihi manducare.* 1. Corinth. 2. *Oculus non vidit, &c. quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* Iacobi 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes regni, quod promisit Deus diligentibus se?* Quæ sola Scripturæ loca obijcit Vasquez disp. 89. cap. 2.

Respondeo primùm, vitam æternam tanquam præmium & mercedem destinari posse, ac reipsa fuisse prædestinatam etiam ante præuisa merita, vt dictum dubio præcedenti, assertionem 6. Respondetur secundò, ijs locis solum probari, in Deo esse voluntatem & propositum, seu destinationem animi, qua ab æterno voluerit conferre gloriam adultis ob præuisa vel exhibitæ merita, puta propter elemosynam, dilectionem, fidem, &c. id verò propositum solum ad ordinem executionis spectare, nec excludere aliud prius propositum prædestinationis ad ordinem intentionis pertinens, quo Deus gratis, & ante præuisionem meritorum decreuerit conferre saluandis omnibus gloriam, dictum dub. præcedent. assert. 5. & dub. 3. in explicatione sententiæ S. Augustini, & generatim supra disp. 2. quæst. 5. dub. 5. Accedit, quod primus locus potius faueat nostræ sententiæ, vt dictum dub. præced. assert. 3. Sed & tertius locus potius nostræ sententiæ patrocinatur. Neque enim Apostolus docet, diuites in fide fuisse electos, vt essent hæredes regni, vt indicat Vasquez, sed pauperes in hoc mundo fuisse electos, tum vt essent diuites in fide, tum vt essent hæredes regni. Sicut ergo gratis electi sunt, vt essent diuites in fide, quod nemo negat, ita etiam existimandum est, gratis fuisse electos, vt essent hæredes regni.

Dices primò. Si Deus semel priori aliquo decreto voluntatis decreuit saluandis gloriam gratis, tum non poterit non etiam in executione gratis eam conferre: id ipsum enim fit, quod Deus decreuit. Quare nonnulli dixerunt, primam electionem gratuitam ad gloriam, contradictoriè opponi posteriori illi, quæ est ex præuisis meritis. Respondetur cum Suarez hic lib. 1. cap. 8. numer. 26. æquiuocationem manifestam committi in argumento circa voculam *Gratis*. Si enim appellet in antecedente obiectum diuinæ voluntatis, videlicet gloriæ collationem, ita vt sensus sit, Deum decreuisse priori illo decreto gloriam conferre gratis, vera est sequela, si autem solum appellet actum liberum, seu decretum diuinæ voluntatis, ita vt sensus sit, Deum gratis & ante præuisionem meritorum eodem illo decreto decreuisse gloriam, etsi non gratis conferendam, falsa est sequela. Et hoc posteriori solum sensu dictum est, gratis & absque præuisis meritis prædestinatam gloriam: siquidem Deus ipsius gloriæ collationem in ipsa executione gratis faciendam nunquam adultis prædestinauit: imò potius etiam priore illa voluntate seu decreto prædestinationis Deum decreuisse,

adul-

adultis gloriam tanquam mercedem seu præmium, iam antea diximus dub. præced. assert. 6. Quare nulla planè est contradictio, Deum habere decretum gratuitum conferendi gloriam, seu absolutè, seu tanquam præmium & mercedem cum voluntate saltem implicita meritorum; & habere aliud decretum ratione posteriori quasi executivum conferendi gloriam ex præiis meritis: quia decreta illa non sunt contradictoria ex parte obiecti; quia conferre gloriam absolutè, aut etiam per modum præmij vel mercedis, & conferre gloriam ex præiis meritis, non sunt contradictoria, sed disparata & subordinata. Vti prima destinatio Principis proponendi brauium viriliter certantibus & vincuntibus est gratuita; tamen si voluntas executiva conferendi præmium post peractum certamen & reportatam victoriam non est gratuita, sed iusta, & ex debito, ut sæpius dictum.

Dices secundò. Deus ita rem ab æterno definit faciendam, sicut in tempore facit, & contra; iuxta Fulgentium lib. de Incarnat. sub fin. ubi ait: *Deus non aliter perficit in opere, quam in sua sempiterna atq. incommutabili habet voluntate dispositum.* Ergo si Deus gratis ab æterno hominem prædestinat ad gloriam, etiam in tempore gratis eidem conferet gloriam: quod est falsum.

Respondeo antecedens verum esse, si vocata, dicat similitudinem ex parte obiecti, non autem est verum, si dicat similitudinem ex parte actus: longè enim alia ratio est actus diuini in se spectati, quam executionis in tempore: ille enim infinitus est & æternus, hæc finita & temporalis: ita in præsentem ille gratuitus est, si de prima prædestinatione ad gloriam loquamur, collatio autem ipsius gloriæ in tempore iusta & debita: Secus est de voluntate executiva, cuius in proposito par est ratio cum executione.

Secundò speciatim obijciuntur illa Scripturæ loca, in quibus præscientia diuina antepositur prædestinationi. Vt Rom. 9. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Rom. 11. *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit.* 1. Pet. 1. *Electis aduenis secundum præscientiam Dei Patris.* Significatur ergo, præscientiam meritorum priorem esse prædestinationem ad gloriam.

Respondetur primò, si hoc argumentum aliquid probaret, probaret etiam, gratiam congruam (de qua in primis etiam locutum esse Apostolum, ubi de electione agit, negari à nemine potest) datam esse ob meritorum, seu post meritorum præscientiam, quod tamen nemo verè dixerit: quicquid nonnulli recentiores de operibus ex viribus naturæ factis dixerint, quos refutauimus supra quæstion. 4. dub. 3.

Respondetur secundò, non esse hic sermonem de præscientia meritorum absolutà, aut vlla omnino scientia visionis: sed vel de præscientia simplicis intelligentiæ, quomodo S. Thomas in eum locum Apostoli: *Quos præsciuit & prædestinauit*, ait, Deum non omnes prædestinasse quos præsciuit; vel de scientia approbationis & amicitia, seu perpetuæ dilectionis erga electos: quæ propterea præscientia dicitur, quia re & ratione antecedit omnem bonum usum liberi arbitrij. Vt sensus sit, quos Deus præsciuit,

scientia approbationis, seu quod idem recidit, quos dilexit, ut rectè Bellarminus de grat. & lib. arbit. lib. 2. cap. 13. Eodem sensu dicitur Amos 3. vers. 1. *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ:* & è contrario Matth. 25. vers. 12. *Nescio vos, &c.* Eodem spectat, quod Augustinus lib. de bono perseverant. cap. 18. ait: *Nullus igitur, qui hac intelligit, negare vel dubitare permittitur, ubi ait Apostolus: Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit, prædestinationem significare voluisse, præsciuit enim reliquias, quas secundum electionem gratiæ fuerat ipse facturus, hoc est ergo, Prædestinauit: sine dubio enim præsciuit, si prædestinauit: sed prædestinasse est hoc præscisse, quod fuerat ipse facturus.*

Tertio obijciuntur ea Scripturæ loca, quibus aliqui prædestinati & electi dicuntur occasione ruinæ ac peccati aliorum; quod proinde prius præiis fuisse necesse est; ut S. Matthias in locum Iudæ proditoris Act. 1. v. 24. Gentiles in locum Iudæorum, Matth. 21. v. 43. Rom. 11. Quo pertinet etiam illud Apoc. 3. v. 11. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Quod si permissio peccati alterius præiis fuit ante electionem ad gloriam: Ergo & cætera media salutis, adeoque etiam merita saluandorum.

Respondetur. Nec in villo horum locorum, nec a libi vsquam in Scriptura, dicuntur aliqui prædestinati occasione ruinæ ac peccati aliorum. Sed Matth. 21. v. 43. solum dicitur: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Roman. 11. v. 11. Iudæorum delictum dicitur salus esse gentibus: quæ omnia, sicut & citatus ex Apocalypsi locus ad executionem pertinent. Solus ille locus Act. 1. v. 24. *Ostende, quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius & Apostolatus, de quo præuicatus est Iudas;* non quidem prædestinationis voce utitur, sed Electionis: loquitur autem de electione non ad gloriam, sed ad officium Apostolatus, ut expressè in textu habetur: alioqui colligi posset, Iosephum, qui electus non fuit, prædestinatum ad gloriam non fuisse; quod est absurdum. Accedit quod si maxime etiam de electione ad gloriam sermo esset, id tamen non de prima, sed de executiva electione intelligendum esset, ut ad primam obiectionem responsum.

Quarò obijciuntur pauca quædam testimonia Augustini, & ex SS. Patribus ij, qui Augustinum antecesserunt, præsertim græci, qui prædestinationem secundum præscientiam docuerunt, ut ex B. Prospero dat. præced. assert. 3. retulimus.

Respondeo quod ad Augustinum attinet, iam antea dub. 3. ea loca fuisse explicata, ipsæque alia multò grauioris momenti opposita. Quod verò ad alios Patres attinet, triplex est responsio; prout etiam de eorum sensu triplex est sententia. Prima non solum concedit, Patres istos in ea fuisse sententia, sed simul etiam fatetur, eis in hac ipsa re ex instituto fuisse aduersatum S. Augustinum, quasi electio & prædestinatio, de qua ex instituto contra Pelagianos & Massilienses disserit Augustinus, sit ipsa electio ad gloriam. Ita docent Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. annot. 251. & 252. Driedo lib. de concord. lib. arbit. 1. p. c. 2. & 4. Ruardus art. 7. Sed quanquam hæc sententia falsa sit; cum non de electione ad gloriam, sed ad gratiam potissimum Augustino cum aduersarijs fuerit controuersia, ut bene ostendit Vasquez

disp. 89. cap. 3. & 4. si tamen vel maximè vera esset, nil ea nostræ sententiæ præiudicaret: quandoquidem ex dictis dub. præced. constat, S. Augustini sententiam in hac materia de prædestinatione merito cæteris præferri.

7 Secunda sententiæ, seu explicatio eorum Patrum concedit, istos quidem Patres in ea fuisse sententia, sed ex falso fundamento, seu adiuncta falsa persuasionem, quia scilicet ante damnatum Massiliensium errorem simul existimabant, etiam prædestinationem ad primam gratiam esse ex meritis quibusdam, seu operibus liberi arbitrij præiudicatis. Ita Vasquez disput. 89. cap. 3. & disput. 91. cap. 8. & 9. ait, non solum plerosque græcos Patres in ea fuisse sententia, speciatim Origenem, Chrysostomum, Theodoretum, Theophylactum, Occumenium, sed etiam ex latinis Ambrosium, Hieronymum, Sedulium, præter Faustum Regiensis, quem Massiliensium assecclam fuisse, iam supra notauimus: quare addit Vasquez numero 16. de Græcis Patribus in primis loquens: *Eorum auctoritate, quanquam alioquin maximi momenti est, hanc sententiam (de prædestinatione ad gloriam ex præiudicatis meritis) nollem confirmare.*

8 Et facit in huius sententiæ confirmationem primò, quod Augustinus ipse etiam de se fatetur lib. 1. Reract. cap. 24. se in eo quandoque errore (Massiliensium) fuisse, lib. exposit. proposit. ex epist. ad Roman. quasi initium fidei, aut fides ipsa sit ex nobis. Quod etiam lib. de bono perseuer. cap. 21. & agnoscit, & utcumque excusat: *Interest, inquit, quantum, & in quibus erretur, & quam facile quisq. corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem.*

Secundò quia B. Prosper in epistola ad August. citata, ipsemet non obscure indicat, ita sentire viros esse Patres illos de prædestinatione & electione, tum ad gratiam scilicet, tum ad gloriam; siquidem obijciendo ait: *Retractatis priorum de hac re opinionibus, serè omnium par inuenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, &c.* Nec enim dubium est, Prosperum de prædestinatione ad gratiam in primis locutum.

9 Tertio Augustinus ipse lib. 1. de prædestinatione Sancti, cap. 14. cum ad eam objectionem respondet, inter alia satis indicat, nihil causæ esse, cur hac in re Patrum illorum sententiæ ipse magnoperè premaratur, cum ait: *Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad soluendum questione versari; quod procul dubio facerent, si responderet talibus cogentur? Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breuiter quibusdam scriptorum suorum locis & transcurter attingerent, immorarentur verò in eis, qua aduersus alios inimicos Ecclesie disputabant, &c.* Sed qui sententijs Tractatorum instrui volunt, oportet, ut istum librum sapientiæ, ubi legitur, *captus est, ne malitia mutaret intellectum eius, omnibus Tractatoribus anteponan.*

10 Sed quanquam ista responsio ad nostrum institutum planè sufficit; siquidem Augustini & assecclorum sententiæ, hac in re, cæteris non nisi obiter de hac re locutis, merito anteponeretur, ut dictum; neque enim verum est, quod Vasquez cit. cap. 3. addit,

S. Augustinum hac in re idem cum Patribus illis, prædestinationem ad gloriam ex præiudicatis meritis asserentibus, docuisse, ut dub. 3. dictum: nihilominus tamen verior est tertia responsio, Patres antiquiores, qui Augustinum antecesserunt, obscurius quidem, necita ex professo hac de re disseruisse, imò verò nondum exorta Pelagianorum hæresi, liberius & securius fuisse locutos; re ipsa tamen hac in re, siue sermo sit de prædestinatione ad gratiam, siue ad gloriam, Augustino contrarios minimè fuisse; sed tam prædestinationem ad gratiam, quam ad gloriam existimasse esse gratuitam. In hunc sensum ipsemet S. Augustinus lib. de bono perseuer. cap. 18. & 19. copiose disserit.

Et primò quidem, quod dicunt Patres, Electionem Dei & gratiæ distributionem esse secundum præscientiam, id ipse ita explicare conatur, ut de præscientia non visionis, quæ prædestinationem sequitur, sed iuxta Scripturæ phrasin, de præscientia Dei practica & approbationis (quo modo ad secundum argumentum ex Scriptura petitum superius responsum est) quæ est ipsa Sanctorum prædestinatio, fuerint locuti. Ita cap. 18. sub finem ait: *Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos Verbi tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere? Magis autem fortasse voluerunt, hoc verbo in ea re vii, quod & facilius intelligitur, & non repugnat, imò & congruit veritati, qua de prædestinatione gratia prædicatur.*

12 Secundò opponit S. Augustinus alia Patrum testimonia, quibus gratuitam prædestinationem ad gratiam asseruerunt; præsertim S. Cyprianum lib. de mortalitate, & S. Ambrosium lib. de fuga seculi cap. 1. qui ait: *Non enim in potestate nostra est cor nostrum, & nostræ cogitationes: quod omnis qui humiliter & veraciter pius est, esse verissimum sentit, &c.* Quare cit. lib. de bono perseuer. cap. 19. ita loquitur Augustinus: [Puto tamen eis, qui de hac re sententijs Tractatorum requirunt, sanctos & in fide atque doctrina Christiana laudabiliter vsquequaque diffamatos viros, Cyprianum & Ambrosium, quorum tam clara testimonia posuimus, debere sufficere, & debere ad verumque, id est, ut gratiam Dei gratuitam, sicut credenda atque prædicanda est, per omnia credentes, per omnia prædicent, & eandem prædicationem prædicationi, qua hortamur pigros, vel corripimus malos, non opinentur aduersam: quia & isti viti, cum sic prædicarent Dei gratiam, ut vnus eorum (Cyprianus) diceret, in nullo gloriantur, quando nostrum nihil sit; alter autem, non esse in potestate nostra cor nostrum & nostras cogitationes; non tamen hortari & corripere destiterunt, ut fierent præcepta diuina, &c.] Et infra rursum: [Vnde supradicti Tractatores excellentissimi diuinorum eloquiorum, & gratiam Dei veram, sicut prædicanda est, prædicarunt, id est, quam nulla merita humana præcedunt, & ad facienda diuina præcepta instanter hortati sunt, ut qui haberent donum obedientiæ, quibus iussis obediendum esset, audirent, &c.] His postea ibidem adiungit Augustinus alia testimonia Ambrosij, & Gregorij Nazianzeni. Et denique e. 23. sub finem concludit Augustinus: [Ac per hoc prædestinationis huius fide, quæ

contra novos hæreticos nova sollicitudine nunc defenditur; nunquam Ecclesia Christi non habuit. Ex quibus satis patet, nunquam agnovisse Augustinum, antiquiores Patres, qui iam olim ipsi etiam à Masiliensibus objiciebantur, à sua, quam de gratuita prædestinatione tradidit, doctrina fuisse alienos.

Atque hæc, quæ ex Augustino retuli, ita accipienda sentio, ut cum veteribus quidem Patribus benigna eiusmodi explicatio merito tribuatur, de Euthymio tamè, Theophylacto, & similibus Græcis recentioribus, non sit laborandum; quos etiam in rebus alijs perniciosius errasse constat. Addendum verò insuper est, SS. Patres etiam nonnunquam cum electionem ad gloriam meritis prævisis tribuerunt, locutos non de prima intentione, seu prædestinatione gloriæ, sed de voluntate executiva, sicut & Augustinum & Scripturas assert. 6. præced. dubio interpretati sumus. Quo modo commodè intelligitur illud ex commentarijs, qui Ambrosij nomine circumferuntur, in illud Rom. 9. *Scimus quoniam diligentibus Deum, &c. ipsos quos prævisit sibi devotos, ipsos elegit ad promissa premia capienda*: & illud Hieronymi epist. 150. ad Hedibiam quæstion. 10. *Non salvari irrationabiliter Deum, & absque iudicij veritate, sed causis præcedentibus*, ut ante Suarezium lib. 3. de auxili. cap. 18. à numero 3. bene etiam Bellarminus, lib. 2. de grat. & lib. arbit. cap. 14. notavit.

Iam verò quod ad rationes attinet, ommissis ijs, quas iam antea dissolvimus; nimirum. I. quòd eo prædestinationis modo, continente absolutam prædestinationem salutis nostræ, antecedentem liberam determinationem nostram, tollatur, aut impediatur liberum arbitrium, saltem, ut in potestate nostra non sit salvari aut non salvari. Quam supra, disputatio. 2. quæstione. 7. dubio 7. evidenter refutavimus, atque in ipsos adversarios retorsumus. II. Quod gloriæ gratis re ipsa adultis non conferatur; ad quam obiectionem respondimus hic in solut. secundi argumenti. III. Quod braivium proponens non prius efficaciter intendat finem, quam media, sed solum post prævisionem meritorum. Quam diluimus dub. præcedent. circa assert. 3. IV. Quod frustra in Deo distinguatur duplex voluntas efficax gloriæ, una prædestinans, altera exequens. Ad quam obiectionem abundè responsum dub. præcedent. assertion. 5. Alijsque locis ibidem citatis. V. Quod etiam in humana voluntate simul appetantur efficaciter & finis & media. Quam refutavimus hæc quæstion. dubio secundo. His, inquam, prætermisissis, duo sunt adhuc argumenta, quibus ea sententia impugnatur.

Primum, quia voluntas illa, qua Deus ante prævisionem meritorum vult gloriam, est voluntas antecedens; Ergo inefficax; quia antecedens illa salutis voluntas est communis in Deo erga omnes homines, ut communiter omnes Theologi docent, iuxta illud 1. Timoth. 2. *DEVS vult omnes homines salvos fieri*: non est autem efficax respectu omnium hominum: ergo inefficax.

Respondeo negando primam consequentiã: quia

non omnis voluntas Dei antecedens est inefficax, ut suo loco dictum disp. 2. q. 5. dub. 3. Ad probationem respondetur, illam absolutam prædestinationem seu prævisionem gloriæ, de qua loquimur, non esse communem erga omnes homines, sed solum erga omnes prædestinatos: præter hanc autem efficacem intentionem salutis esse in Deo voluntatem quandam inefficacem salutis erga omnes homines, quam explicavimus dub. præced. assert. 1. Neque hæc duæ voluntates inter se pugnant, sed potius sunt quasi ratione quadam subordinatæ; sicut enim in nobis solet inefficax voluntas finis, puta sanitatis, antecedere efficacem voluntatem seu intentionem eiusdem rei etiam Deus habuit voluntatem inefficacem respectu omnium, & ex vi illius voluit & disposuit illa generalia media, quæ omnibus communia sunt ad salutem: deinde verò alia speciali quadam voluntate efficaci elegit quos voluit, & ex vi illius disposuit specialia & efficacia media & auxilia electis.

Omitto quod Theologi constituentes in Deo voluntatem antecedentem salutis erga omnes, docent quidem eam esse inefficacem, hoc sensu, quia non est de ratione illius, ut sit efficax; at tamen non ideo docent, eam necessario & univèrsim respectu omnium esse inefficacem, aut æqualem erga omnes: qua ratione etiam dici posset, DEVM in eodem instanti rationis, quo quibusdam antecedente voluntate voluit efficaciter gloriam, alijs, non ipsdem voluisse salutem voluntate inefficaci, ut bene etiam, notavit Suarez lib. tertio, de auxili. capit. decimo nono, à num. 12.

Denique idem argumentum etiam retorqueri potest contra adversarios, si accommodetur ad primam gratiam congruam, quæ in omni sententia ante prævisionem meritorum aut cooperationis nostræ, est à Deo electis decreta hoc modo: Deus vult antecedente quadam voluntate gratiam congruam omnibus; qua enim quisque voluntate vult finem, eadem etiam vult necessaria media: sed hæc voluntas hoc ipso, quod est communis omnibus, est inefficax: ergo nulla datur alia efficax voluntas gratiæ congruæ ante prævisionem meritorum seu cooperationis nostræ. Quod argumentum etiam oppositæ sententiæ authores debent solvere.

Secundum argumentum petitur à modo loquendi casualium propositionum. Dicimus enim, inquit Vasquez, disp. 89. cap. 7. num. 57. *Deus voluit dare vitam æternam Petro, quia vidit re ipsa futurum esse sanctum; non autem voluit dare vitam æternam, ut re ipsa esset sanctus*: Ergo signum est, Deum non ante prævisionem meritorum efficaciter voluisse dare vitam æternam Petro. Consequentia probatur. Tum quia quando absoluta & efficaci voluntate ante prævisionem meritorum intenditur finis, v.g. sanitas, non solemus dicere aliquem voluisse finem, quia media prævidit, sed semper è contratio, talia elegisse media; quia voluit finem. Tum quia si prius intentione voluit Deus beatitudinem dare, & deinde meritã ac sanctitatem, sequitur ad hoc decrevisse dare beatitudinem, ut postea daret sanctitatem. Et confir-

matur à simili. Si enim diceremus, Deum ideo vocasse Petrum, quia cognouit futurum esse sanctum, faceremur rationem habuisse meritum, vt vocaret: nunc autem quia non habuit, dicimus, vocauit, non quia nouit fore sanctum, sed vt esset sanctus.

18 Respondeo ad argumentum principale, negando consequentiam. Ad primam probationem respondetur ex dictis supra disput. 2. quæst. 5. dub. 5. assert. 9. diuersitatem esse finium: alii enim cum merè naturales sint, & naturali solum via seu modo acquirantur, qualis est san-
 19 Ad secundam probationem respondetur, negando sequelam. Quia etiam si Deus intentione prius voluit dare beatitudinem, & deinde merita ac sanctitatem, non tamen sequitur, ad hoc decreuisse beatitudinem, vt postea daret sanctitatem; quia dare aut facere hoc, vt fiat alterum, significat alterum huius esse finem; sicut quando dicimus, ambulo, aut medicinam sumo, vt saner &c. at vero merita, aut sanctitas, non sunt finis gloriæ acquirendæ vel conferendæ, sed medium. Rectè ergo quidem dicimus, Deus ex voluntate & intentione gloriæ confert & procurat merita & sanctitatem, aliaque media; seu media hæc dantur, quia Deus voluit gloriæ; sed non item Deus voluit beatitudinem, vt postea daret sanctitatem aut merita &c.

20 Ad confirmationem respondetur, esse plane disparem rationem gratiæ vocantis & gloriæ: tum quia gratiæ vocationis non solum gratis prædestinatur, sed etiam gratis confertur; quare nunquã dicere possumus, Deum vocasse Petrum, quia cognouit futurum esse sanctum; sed quia gloria et si gratis prædestinatur, non tamen confertur gratis,

sed ob merita, vt dictum, ideo non obstante prædestinatione gratuita, rectè dicimus, Deum voluntate executiua decreuisse Petro gloriæ, quia cognouit futurum esse sanctum; item Petro conferre gloriæ ob sanctitatem & merita, &c. Tum quia sanctitas respectu gratiæ vocantis, habet se veluti finis, at vero respectu gloriæ habet se veluti medium. Vnde rectè quidem dicitur, Deum vocasse Petrum, vt esset sanctus; non tamen decreuisse gloriæ Petro, vt in hac vita esset sanctus.

Iam verò quod ad obiectiones posterioris generis atinet, quæ pariter & ex æquo impugnant tam prædestinationem gratuitam ad gloriæ, quã discretionem ac selectionem ac ferè etiam vniuersim gratuitam gratiæ congruã; quæ proinde ferè ab ipsis etiam obiectibus dissoluendæ sunt, vt videbimus; ea generatim ad hoc caput reuocantur; quod nostra hæc sententia de gratuita prædestinatione ad gratiam & gloriæ antea præuisa merita, non satis sit consentanea nec iustitiæ, & bonitati DEI; nec pietati ac bonis moribus; sed potius scandala & desperationem gignat: id quod varijs rationibus & considerationibus, studio quasi tenudæ & promouendæ pietatis, à nonnullis admodum exaggeratur. Et placet mihi quidem hoc pietatis promouendæ ac tenudæ studium & Zelus; quando & nostræ vtiq; sententiæ Doctoribus, viris cum primis pijs ac religiosis, in hac re non minus veræ pietatis, quam sinceræ veritatis studium vnicè cordi est. Illud tamen simul aduerto, iam olim Massilienses quoque aduersus sanctum Augustinum, non alio ferè argumento enixius dimicasse, quam hoc prætextu pietatis tenudæ.

Quod non meis, sed viri pijsissimi ac doctissimi verbis hoc loco referre placuit. Ita ergo Benedictus Pererius, comment. in epist. ad Rom. cap. 9. disp. 8. num. 78. ad similes obiectiones Catharini respondens, loquitur. [Illa demum aduersus Augustini sententiam fortis admodum nonnullis videtur obiectio & ratio. Aint enim, istam sententiam Augustini adigere homines ad desperationem, & bene agendo retrahere; quilibet enim secundum istam sententiam certus & securus est, siue bene, siue malè vixit; se nequaquam mutaturum æternam Dei voluntatem, qua iam ab æterno vel reprobatus à Deo, vel prædestinatus est. Atque hoc contra Augustinũ vehementer irget Catharinus, qui in suis Commentarijs in hanc epistolam, super illis verbis, que sunt in hoc nono capite, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, viginti quinque aduersus sententiam Augustini coaceruauit argumenta. Sed istæ obiectiones aduersus Augustinum non sunt nouæ, nec recens inuenta; & etiam tum Sancto Augustino, à Massiliensibus, alijsque Gallie Episcopis, aduersus ipsum obiectæ sunt (vt constat ex epistolis Hilarij & Prosperi ad Sanctum Augustinum citatis, & ex libro Augustini de Corrept. & grat. & alijs) ea tamen nihil mouerunt Augustinum, quominus sententiam suam constanter tueretur, & perseueranter teneret vsque ad mortem. Neque scandala, si quæ ob id oriebantur, & nonnullis

accidebant, curanda esse putavit, iudicans esse passiva, ut quæ ex inciscitia veritatis & imperitia diuinarum Scripturarum nascerentur.

23 [Beatus quoque Thomas non minori pietate ac religione, quam ingenio ac doctrina præditus, istiusmodi obiectionibus atque offensionibus & scandalis nihil perturbatus aut motus est; nec ab Augustini sententiâ deduci potuit. Quin etiam ipsemet Apostolus, qui tam religiosè curabat ac cauebat, ne cui scandalum daret, ut affirmaret se nunquam carnes manducaturum, si ob id quisquam fidelium scandalizandus esset; hanc tamen doctrinam Prædestinationis & Reprobationis hominum, licet videret offensionem & scandalum fore multis, veritatis & diuinæ Scripturæ ignaris, eam tamen & aperte & affirmatè, & enucleate tradere voluit: nec dubitavit, illas sententias scriptas in hac epistola relinquere, Miserebor cui miserebor; Non volentis, neque currentis, &c. Annon habet potestatem figulus, &c. Si Deus volens ostendere, iram &c.] Ita Pererius.

24 Sed & Iauellus, & alij, qui cum eo malè, & non sine erroris periculo causam totius prædestinationis ex parte prædestinati assignabant, non aliud potissimum suæ sententiæ firmamentum adsciuerunt, quam quod dicerent, eam sententiam sequendam, quæ rationabilior appareat, & aperiùs seruet rectitudinem diuinam, suscipiet spem fidelium, occasiones desperationis tollat, deseruet prædestinationis certitudinem cum libero arbitrio, &c. ut diximus quæstion. præcedent. dub. 5. Summa; omnes qui gratuita prædestinationis doctrinam, aut contra Sanctum Augustinum impugnarunt, olim, aut etiamnum hodie impugnant, hunc suæ causæ colorem prætexunt, pietatis studium. Sed qui color ad veritatis lumen prolatus, & considerata tam impugnantium olim Massiliensium conditione, quam S. Augustini & Sancti Thomæ dignitate & excellentia, facile euanescit: cum præsertim ex omni numero, qui materiam, hanc in vtramvis partem tractarunt, non inuenire facile sit aut sanctiorem vllum, aut qui cum summa doctrina & ingenio maiorem Zelum animarum, ac salutis spem, ardentiusque pietatis studium coniunxerit, quam Sanctum Augustinum, & S. Thomam, quos nostræ sententiæ Duces & Antesignanos habemus.

25 Sed & cum argumenta & considerationes illæ, de quibus loquimur, non solum gratuitam electionem ad gloriam impugnent, sed etiam gratuitam pro electis discretionem & præparationem gratiæ congruam, qua congrua est, quam negari nulla ratione posse satis probauimus dub. 1. vereor etiam hoc titulo plurimum, ne pietatis ille Zelus non tam ex scientia, quam falsa opinione rectè profectus videatur. Neque verò difficile est, aduersus gratuitam prædestinationem Dei ea argumenta componere, & ad speciem ita conformare, ut imperitis scandali aut desidiæ occasione præbere videaris; quando vel ex sola præscientia immutabili DEI, vel ex gratuita prædestinatione ad gratiam congruam, non pauci olim scandalizati fuerunt, qui propterea etiam hac ratione ad eas DEI perfectiones perne-

gandas fuerunt inducti, ut inferius patebit.

26 Sed profecto, ut Propheta ait psalm. 118. vers. 165. *Pax multa diligentibus legem DEI, & non est illis scandalum*; præsertim si tria hæc, quæ in omni sententiâ fixa & firma perseverant, animo bene impressa hæreant. Primum, prædestinatione nullo modo impediri libertatem arbitrij ad bene vel malè operandum. Secundum, rectè vsque in finem operantes & perseverantes in gratiâ (uti cum gratia Dei possunt omnes) certissime, gloriam consecuturos, adeoque prædestinatos esse: alios verò si malè operando gratiam perdant, & sic decedant, damnandos esse, & hoc ipso reprobos. Tertium, homines ordinaria lege, si aut rectè viuunt, aut vitam emendare decernant, spem quidem iustam salutis habere posse; attamè quicquid agant, nec posse, nec debere infallibiliter scire, sintne reprobi, an prædestinati. Cum igitur in omni sententiâ certissimum sit, esse in potestate cuiusvis, cum diuina gratia facere id, quod infallibiliter prædestinatum arguit; & vitare id, quo vitato, impossibile est quenquam esse reprobum; nec verò præterea in vlla sententiâ maior in vtramvis partem certitudo haberi possit; quomodo fieri potest, ut non potius accurata prædestinationis cogitatione, sic animo pius quisque afficiatur, ut cum timore quidem ac tremore, sed non absque spei condimento, suam salutem operando, eam quoad fieri potest, certissimam reddat? Atque hæc ita generatim præmonere necesse fuit: nunc singulas obiectiones sigillatim expendamus; quod eò diligentius à nobis faciendum, quo magis vtrinque pietatis simul ac veritatis studium saluum & inuiolatum esse cupimus. Sequemur autem hac in re potissimum filium & contextum Leonardi Lessij, qui in duobus locis nimirum disput. de prædestinat. diuina, & tract. de perfect. diuinis lib. 14. c. 2. iisdem pene verbis, sententiam nostram de prædestinatione gratuita Dei acrius oppugnauit; ex quo etiam cæteri recentiores sua fere deprompserunt.

27 Primò igitur obijcitur, hunc modum electionis non satis consistere cum sincera voluntate saluandi omnes homines, maxime fideles, &c. Si enim sincerè desiderat Deus omnium salutem, quomodo ipse ex se tam paucos ad salutem elegit, & cæteros omnes ita negligit, ut nemo ex illis saluetur? Et cum electis seligat gratias congruas, ut fiat opus ab ipso præfinitum; ergo nõ electis debet seligere incongruas, ne fiat opus, quod ipse non prædefiniuit, &c. Sicut enim ad prouidentiam eius pertinet, ut saluetur numerus sic electorum, ita ad eandem pertinere videtur, ut & alij, qui ab illa electione sunt exclusi, non fiant salui; & ne ipsi etiam qui electi sunt maiorem gloriam mereantur, aut maiora merita habeant, quam ipse ab initio ex se illis decreuit; ne grauissima inde sequantur incommoda, contra intentionem Dei, &c.

Idem declaratur exemplo. Quia ad Architectû pertinet, ut postquã ex innumeris saxis certum numerû selegerit ac designarit, quantum ad conceptâ proportionem ædificij suffecerit, non solum curare, ut omnia saxa signata aptentur, & suis locis

collocentur, sed etiam ne alia non designata, quibus proportio concepta euerteretur, in structuram intrent. Item in conuiuio nuptiali, non solum ad prouidentiam sponsi spectat, curare, ut designati & delecti v. g. centum conuiuæ veniant, sed etiam ne plures veniant. Idem ergo etiam in proposito dicendum, si *DEVS* ex se ipso certum numerum electorum designauit, &c.

28 Respondeo primum, hæc obijci posse, & reipsa obiecta olim fuisse à Pelagianis ac Massiliensibus aduersus Augustinum, contra prædestinationem gratuitam ad gratiam præuenientem electorum propriam; quæ tamen sine errore negari non potest, ut videre est apud sanctum Augustinum lib. de correctione & grat. capit. 14. & responf. ad articulos falsò impositos articulo 2. & apud Prosperum in epistola ad Augustinum, ubi inter alia Massilienses obijciunt; *Nec vacillare illud, quod DEVS omnes homines velit saluos fieri, &c.* Itaque quantum ad *DEVM* pertinet, omnibus paratam vitam æternam, &c. Et certè cum omnes & soli illi saluentur, quibus *DEVS* ex se & sola sua gratuita bonitate vult gratiam congruam electorum propriam; idem est ad propositum, aliquos non prædestinare ad gratiam illam congruam, quod est, non prædestinare ad gloriam; & par est ratio querendi, cur *DEVS* ex se ipso tam paucos ad gratiam congruam electorum propriam elegerit, & alios omnes ita neglexerit, ut nemo ex illis saluetur. Et quia de fide est, *DEVM* etiam ex opposita sententia prædestinationis ad gloriam ob præuisa merita, absolute potuisse efficere, ut omnes illi, qui nunc absque meritis diuinæ menti sunt representati, instructi maiori, aut alia gratia, merita simul ac perseuerantiam haberent; in omni sententia restat obiectio hæc soluenda, quare *DEVS* tam paucos elegerit, aut sane dignos electione fecerit, cum in ipsius vtique potestate fuerit, seu omnes eligere, seu dignos electione ad gloriam efficere.

29 Respondetur secundò, in illo argumento tria postulari. 1. quomodo cum electione illa gratuita, siue ad gratiam, siue ad gloriam stet vera & seria voluntas *DEI*, qua omnes vult saluos fieri. 2. quomodo & qua ratione tam paruus electorum numerus à *DEO* fuerit designatus. 3. quomodo non eo ipso *DEVS* seligat gratias incongruas pro non electis; ac peculiari etiam prouidentia curet, ne quisquam ex non electis saluetur.

Ad primum, omiſſa varia responsione Sancti Augustini, quam adhibet locis citatis, respondeo breuiter, gratuitam illam electionem, siue ad gratiam, siue ad gloriam, nihil obſtare, quo minus Deus velit salutem omnibus, eo modo voluntatis, qui salua fide, & seclusa adeo voluntate efficaci, possibilis est, qui que adeo etiam ab ipsis authoribus aduersæ sententiæ Deo erga non electos tribuitur, aut tribui potest: nimirum 1. quod verò & positiuo actu voluntatis, simplici affectu, omnes cupiat esse saluos. 2. quod media generalia salutis pro omnibus præparauerit & desti-

nauerit. 3. quod actu conditionato omnes reipsa velit saluos fieri, paratusque sit dare vitam æternam, si debita salutis media adhibeantur; vti simplici voluntate adhiberi cupit. Neque enim in hoc ab illis differimus, quod minus beneuolentiæ ac propensionis Deo tribuimus erga salutem non electorum, quam ipsi; sed quod plus erga salutem electorum, quam ipsi, ut dictum dub. præced. Neque vero etiam reprobi ideo non saluantur, quod aut Deus antecedente voluntate eos saluari nolit, aut quod per auxilium oblatum & præparatum adulti saluari non possint; sed quod ipsi saluari nolint; quodque hæc prauam ipsorum voluntatem sub conditione futuram Deus per scientiam mediam iam ante omne decretum liberum suæ voluntatis præuiderat. Itaque sicut homo potest serio desiderare, & cum verò desiderio suadere id, quod se non euenturum, & dolere quod non fiat, ita etiam suo modo Deus.

Ad secundum respondeatur, numerum electorum absolute non esse partium, sed planè magnam, & quasi innumerum; multarum vtique myriadam, ut constat ex Apocal. 7. & absolute fortè maiorem, quam reproborum, ut dicitur quæst. 7. dub. 5. Vult tamen Deus iusta ratione inter homines minorem esse numerum electorum, quam reproborum; ut beneficentiæ gratiæ affectus, ipsiusque beneficij magnitudo tantò magis aestimaretur, quantò paucioribus communicatur; nèue si inter eos maiorem numerum saluandorum esse constaret, timor Dei magis adhuc exularet inter homines, & vana præsumptio, cum vitæ licentia coniuncta, magis inualesceret; quando nec iam quidem satis cohiberi homines Dei timore possunt. In quem sensum Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 10. *Quod pauci, inquit, in comparatione pereuntium, in suo verò numero liberantur multi, gratia sit, gratis sit, gratia sunt agenda, quia sit, ne quis velut de suis meritis extollatur, sed omne os abstruatur, & qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Et lib. 21. de Ciuit. Dei. capit. 12. *In ſeruitute vltionis, inquit, multo plures sunt, quam in gratia redimentis, ut sic ostendatur, quid omnibus deberetur. Quod si omnibus redderetur, iustitiam vindicantis iuste nemo reprehenderet. Quia verò tam multi exinde liberantur, est, unde agantur maxima gratia gratuito muneri liberantis.* Et optimè idem S. Augustinus epist. 106. ad Bonifac. *Novit, inquit, ille, quid agat, & quantum numerus esse debeat primitiuus omnium hominum, deinde sanctorum; sicut siderum, sicut Angelorum: atque ut de terrenis loquamur, sicut pecorum, piscium, volatilium, sicut arborum & herbarum, sicut denique foliorum capillorum que nostrorum.* Nam nos humana cogitatione adhuc possumus dicere, quoniam bona sunt cuncta ista, quæ fecit; quantum melius illa duplicasset, & multiplicasset, ut multo essent plura, quam sunt? si enim non ea caperet mundus, nunquid non posset etiam ipsum facere quantum vellet ampliore? tamen quantumcumque faceret vel illa plura, vel ipsum capaciore atq; maiore, nihilominus eadem de multiplicandis eis dici possent & nullus esset immoderatus modus.

Idem respondere debent aduersæ sententiæ authores: cum *DEVS*, in ipsorum etiam sententia, vtique multò plures, imò omnes potuerit saluare.

saluare, preparando eis efficacia gratiæ auxilia, vsque ad finem.

31 Ad tertium respondeo, nulla fuisse opus selectione gratiæ incongruæ pro non electis; multo minus vlla speciali prouidentia. DEVM ob stare debuisse, ne cui non electo gratia congrua aut salus contingeret: quandoquidem hoc ipso, quod DEVS peculiari prouidentia gratias congruas pro electis selegit, gratiæ non congruæ communi prouidentia ordine non electis relinquebantur & decernebantur; non ea proprie ratione, quod incongruæ essent, sed quod sufficientes, licet effectum nunquam habitura, vt dictum dub. I. assert. 3. Ita etiam hoc ipso, quod Deus electos omnes gratuita benevolentia prædestinavit, simulque vidit, alios non ita electos non fore saluos, nec in gratia perseveraturos, licet absolute & saluari & perseverare possent, factum est, vt illi peculiari prouidentia Dei infallibiliter saluarentur, isti communi prouidentia relictis non saluarentur.

32 Ad objecta exempla respondeo, disparitatem esse. Nam Architectus ille, & sponsus, non habent simplicem affectum voluntatis, quo ille quidem omnes lapides, hic verò omnes etiam non efficaciter vocatos, velint seu adhiberi ædificio, seu interesse conuiuio; sed uterque pariter habuit affectum ad certum illum numerum, ita determinatum, vt nec simplici quidem voluntate plures rei destinata adhiberi vel adesse cuperent. Secus facit in proposito DEVS, vt dictum. Ratio autem par esset, si sponsus ille simplici affectu cupiens omnes conuiuio interesse, omnes ad id finire inuitaret, omnibus currus, aut equos, seu comæntum sufficientem mitteret, quibus ad conuiuij locum peruenire possent; esto interim ipse gratuita benevolentia centum aliquot designatos proprio conductu ad conuiuium adducendos prælegisset, & simul etiam nosset, præter hos neminem aduenturum; tunc enim peculiari quidem cura in hoc minime opus foret incumbere, ne plures quam centum venirent, & tamen nihilominus infallibiliter futurum esset, vt nulli alij, quam centum illi conuiuio interessent; non vitio aut culpa aliqua sponsi inuitantis, sed inuitatorum, qui vocati venire nollent, vt ex Evangelica parabola habetur. Idem in similibus exemplis seruata proportione dicendum.

33 Secundo obijcitur, DEVM in Scripturis omnes vocare ad salutem, omnes iustos hortari ad perseverantiam, & ad assiduum in iustitia profectum, omnibus perseverantibus promittere vitam æternam, omnibus non perseverantibus, & omnibus peccatoribus minari damnationem, & conqueri de peccatoribus, ac speciatim de Iudeis, Isai. 5. *Quid est, quod debui vltra facere, &c.* at posita illa sententia non videtur hæc serio & ex animo facere, sed solum in speciem, vt videatur in non electos benignus, & in electos iustus ac severus. I. Quia decretum reprobationis negatiuæ, seu etiam exclusionis è numero electorum, nullo modo

pendet à libertate illorum; quia autem omnem præuisionem futurorum ita statutum est: & nouit DEVS se illos numero electorum exclusisse; non illorum merito, sed suo arbitrio. Vti ille, qui centum solum designauit conuiuas, quibus mensa impleatur, utrunque simul interit totam ciuitatem vocet ad conuiuium. II. Quia etiam nihilominus possibile sit, omnibus seruare præcepta, considerata intrinseca dispositione voluntatis, & secundum quid, nihilominus cum tali dispositione & libertate potest stare impossibilitas absoluta: sicut patet in CHRISTO, qui etsi spectata interna dispositione voluntatis (seclusa visione beatifica) posset non seruare, præcepta diuina, absolute tamen id ei erat impossibile, propter assistentiam diuinam, debitam illi animæ ratione rationis hypostaticæ &c. qualis etiam supposito absoluto decreto debetur electis respectu operum prædefinitorum & perseverantia. III. Quia nemo prudens potest serio & ex animo desiderare, hortari, præcipere, vt fiat id, quod si res ipsa fiat, repugnabit operi antea designato, vel decreto antea concepto. IV. Insolens est placere inter homines, id sub conditione promittere, quod iam voluntate absoluta decreuerunt. V. Quia hæc ratione conditio illa promissioni adiecta, Si perseveraueris, idem valebit ex parte rei, ac si dicas, Si DEVS ex se prædefiniuit, vt perseveres: & conditio Si non perseveraueris, Si Deus non prædefiniuit tuam perseverantiam.

34 Respondeo primum, hæc ipsa fuisse olim obijcitur à Pelagianis & Massiliensibus aduersus sancti Augustini sententiam de prædestinatione, vt videre est apud Prosperum in epistola ad sanctum Augustinum. Vbi inter alia ex ipsorum mente refertur, & S. Augustino opponitur, [præfisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono sine excessuros esse præuiderat.] Et rationis loco mox subiungitur: *Ideoque omnem hominem ad credendum, & ad operandum diuinis institutionibus admoneri, vt de apprehendenda vita æterna nemo desperet, cum voluntaria deuotione remuneratio sit parata.* Et infra: *Iam hic proferunt testimonia, quibus diuinarum scripturarum cohortatio ad obediendum incitat hominum voluntates, qui ex libero arbitrio aut faciunt aut qua iubentur, aut negligunt, &c.* Et infra: *Nec acquiescunt, prædestinatum electorum numerum nec augeri posse, nec minus, ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant, ac superflua sit industria ac laboris inditio, cuius studium cessante electione frustrandum sit.* Quare etiam sub finem epistolæ inter alia petit Prosperus à Sancto Augustino explicari, quemadmodum [per hanc prædicationem propositi DEI, quo fidelis fuit, qui præordinati sunt ad vitam æternam, nemo eorum, qui cohortandi sunt, impediatur, nec occasione negligentia habeant si se prædestinatos esse desperent.]

Et Hilarius simili epistola ad S. Augustinum.

de iisdem Massiliensibus loquens: *Asserunt, inquit, inutilem exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur, quod correctio valeat excitare &c. Nam si sic prædestinati sunt, inquit, ad utramque partem, ut de alijs ad alios nullus possit accedere, quo pertinet tanta extrinsecus correctionis instantia? &c. Quare etiam Augustinus lib. 2. de bono perseuer. capite. 15. & alio libro de corrept. & grat. hanc obiectionem fusè dissoluit, ut dicemus.*

36 Respondeo secundò in forma ad argumentū; negando minorem; ea enim prorsus falsa est: quia ne superuacaneæ aut fictæ sint admonitiones, promissiones, comminationes, exostulationes; satis est, si & in admonente seria sit voluntas eius rei, ad quam hortatur, & in admonito potestas seu facultas ad utrumlibet: quare etiam iure ac verè dixit Deus de Iudæis: *Quid est quod ultra debui facere? &c. quia sanè plus non debuit facere, et si absolute potuit.*

Ad primam probationem minoris respondeo primum, supponi falsum; quasi Deus solo suo arbitrio, & ante præuisionem demeritorum, absolute & simpliciter non electos excluderet à gloria & numero electorum: non est ita, sed solum suo arbitratu prætermisit illos in eo instanti ad numerum electorum, seruata interim facultate & voluntate conditionata recipiendi eos in aliquo instanti posteriori in numerum electorum, si bona merita cum perseuerantia præuideret, ut dictum dub. præcedent. assert. 5. at verò quia supposita illa prætermissione, & simul reiectione à gratia congrua, postea oppositum vidit futurum, ideo tunc primum eos absolute & simpliciter excludit à regno cælorum, ut pluribus dicitur q. 7. dub. 4.

37 Secundò respondeo, à gratia quidem congrua reiectos fuisse non prædestinatos, etiam ante præuisionem absolutam cooperationis futuræ; quia ea non pendet à cooperatione nostra; atamen & hoc in omni sententia probabili fatendum, ut dictum dub. 1. & nihil derogare diuinæ prouidentia & curæ, quam habet de omnibus; quia Deus nihilominus dat gratiam sufficientem omnibus, qua possunt saluari, & qua quisquis non saluatur, seipsum solum culpæ potest, nõ Deum. Neque verò promissiones & comminationes Dei pertinent ad gratiam congruam vel absolute dandam, vel non dandam, sub conditione operum &c. ut patet ex quæst. præced. dub. 3. & 5. Exemplum verò illud conuiuij rursus non est ad rem; quia in eo supponitur, mensam, & domum conuiuij inuitatis destinatam, non posse omnes capere; etiam si inuitari omnes, quantum in se, vellent venire; quod in proposito minime dicendum est; quia domus Domini, & mensa cælestis tam ampla est, ut ex se omnes capiat, Deusque ipse facultatem habeat amplissimam recipiendi omnes, si modo vocati veniant, uti possunt.

38 Ad secundam probationem minoris respondeo, rursus supponi falsum, quasi per præuisionem Dei absolutam tollatur saltem extrinsecè libertas, & absoluta facultas faciendi oppositum; quod non ita esse ex instituto probatum est disp. 2. q. 5. dub. 8. Et exemplum de Christo prorsus est dissi-

mile & impertinens. Quia in Christo intrinsecè & physica erat repugnantia cum peccato, idque ex duplici capite; nimirum & ratione vnionis hypostaticæ; & ratione visionis beatificæ; quarum utraq; fiebat, ut non solum præcepti diuini transgressio in eo locum habere nullo modo posset, sed nec physicam omninò potentiam haberet ad illam. In prædestinatis autem nihil simile est, solum protectio quædam Dei extrinsecè talis, qua licet absolute & physicè planè peccare, & in peccato excedere possent, infallibiliter tamen futurum est, ut in peccati mortalis statu nunquam excedant; suffragante nimirum ad hoc & adminiculante scientia media, qua Deus cognouit, si his vel illis gratiæ auxilijs præuenientur, eos infallibiliter quidem, sed absolute liberè in gratia perseueraturos, ut suo loco dictum: eaque etiam ipsa protectio in omni sententia prædestinationem infallibili nexu comitatur.

Ad tertiam probationem respondetur, negando assumptum; nam etiam Iudex sepe quem iudiciali processu & decreto damnauit ad poenam, voluntate & affectu simplici cupit absolui & liberari à poena; & Magistratus quotidie serio & ex animo desiderant, nullam violari legem, quod si re ipsa fiat, repugnabit quibusdam operibus antea designatis, vel decretis antea conceptis: ut, quod Fiscalis v. g. & Syndicis ex transgressorum multis stipendia sunt decreta; quod carceres & patibula magno sumptu extructa &c. Denique pij medici serio & sincerè affectu simplici cupiunt nulli bono viro agritudinem accidere, quod tamen si fiat, repugnabit operi & officio ante decreto, quo ex sua se arte alere decreuerunt. Et ratio est; quia efficax propositum vnus rei sub vna ratione, & desiderium seu voluntas inefficax oppositi ex alia ratione, inter se non pugnant. Præterquam quod etiam si quidam gratuita prædestinatione ad gloriam à Deo non electi saluarentur, id huic decreto minime repugnaret, ut quod per se solum spectatum, nec formaliter; nec virtualiter includit absolutam cæterorum exclusionem, ut superius dictum dub. præced.

Ad quartam probationem respondeo; iterum negando assumptum: quia nec inter homines planè insolens est, id sub conditione promittere, quod iam voluntate absoluta decreuerunt. Ita enim aliquando parens filio promittit amplam hereditatem sub conditione certi officij sibi præstandi, quam iam alijs ei veluti filio designarat. Ita Princeps quod brauium iam antea fidei seruo designauit, promittere potest sub conditione certaminis & victoria; si de victoria ab eo reportanda certus sit. Quod si id minus frequenter inter homines accidit, ratio est, quia homines non ita certi esse possunt de implenda conditione futura, à qua proinde merito volunt executionem decreti sui, quod iam ante firmam & fixum statuerunt, esse independens. Secus accidit in Deo, qui certus est de conditione futura, &c.

Ad quintum rursus negatur assumptum. Quamuis enim hæc inter se sint connexa, perseuerantia nimirum actualis, & prædefinitio perseuerantia; non tamen sunt idem; siquidem vnum gratis

exhibet Deus, alterum ex debito simul ac libere præstat homo, idque iure proinde ab homine sub conditione exigit Deus. Idem in omni sententia dicendum, cum perseverare in finem, & ad vitam æternam, seu etiam ad perseverantiam prædestinatum esse sint connexa; neque tamen vllus dixerit, promissionis illius, si perseveraueris vsque in finem, saluus eris, sensum proprium & formalem esse, si prædestinatus es ad gloriam, vel ad perseverantiam, saluus eris, &c.

42 Quam parum autem hac obiectione S. Augustinus à gratuita prædestinationis doctrina fuerit absterrens, planè videre est lib. de bono persever. cap. 14. & 15. In priore enim capite opponit primum exemplum Apostoli, deinde Christi Domini, denique exemplum S. Cypriani; quorum singuli non deserunt suos auditores adhortari ad virtutis studium & perseverantiam, cum tamen interim prædestinationem gratuitam Dei perspicue docerent. [Aiunt, inquit Augustinus cit. c. 14. Prædestinationis definitionem utilitati prædicationis adversam: quasi vero adversata sit Apostolo prædicanti. Nonne ille Doctor gentium in fide & veritate prædestinationem toties commendavit, & verbum Dei prædicare non destitit? Nunquid quia dixit, Deus est, qui in nobis operatur & velle & operari pro bona voluntate sua, ideo non ipse & ut velimus, quæ Deo placeant, & ut operemur hortatus est? Aut quia dixit, Qui in vobis bonum opus cepit, perficiet in diem Christi Iesu, ideo & ut inciperent homines, & perseverarent vsque in finem, ipse non suasit? Nempe ipse Dominus hominibus præcepit ut crederent, atque ait, Credite in Deum, & in me credite; nec tamen ideo eius falsa sententia est, nec vana definitio, ubi ait, Nemo venit ad me, id est, nemo credit in me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Nec rursus quia vera est hæc definitio, ideo vana est illa præceptio. Cur ergo prædicationi, præceptioni, exhortationi, correptionique, quæ omnia frequentat Scriptura diuina, existimamus inutilem definitionem prædicationis, quam commendat eadem Scriptura diuina,] &c.

43 Et in fine eiusdem capituli 14. concludit Augustinus: [Exhortamur ergo atque prædicamus, sed qui habent aures audiendi, obediētes nos audiunt: qui vero cor non habent, sit in eis quod scriptum est, ut audientes non audiant, audientes videlicet corporis sensu, non audiant cordis assensu. Cur autem illi habeant aures audiendi, illi non habeant; hoc est, cur illis datum sit à Patre, ut veniant ad filium, illis autem non sit datum, quis cognovit sensum Domini, & quis eius Consiliarius fuit? Aut tu quis es homo, qui respondeas Deo? Nunquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendere non potest, quod occultum est? Nunquid, inquam, propterea dicturum sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam cur ita sit, non possumus inuenire?]

44 Et mox cap. 11. exemplo præscientiæ eandem obiectionem retundens, ita pergit disserere: [Sed aiunt, ut scribitis, neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conuentu Ecclesiæ audientibus multis; Ita se habet de prædestina-

tionem definita sententia voluntatis Dei, ut alij ex vobis de infidelitate, accepta obediendi voluntate, veneritis ad fidem, vel accepta perseverantiam, maneat in fide; cæteri vero, qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum vos adiutorium gratiæ miserantis erexit. Veruntamen si qui estis necdum vocati, quos gratia sua prædestinaverit eligendos, accipietis eandem gratiam, qua velitis & sitis electi. Et si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis. Ista cum dicunt, ita nos à confitenda Dei gratia, id est, quæ non secundum merita nostra datur, & à confitenda secundum ea prædestinatione Sanctorum deterrere non debent, sicut non deterrermur à confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, ut dicat: Siue nunc rectè vivatis, siue non rectè, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præsciuit, vel boni si bonos, vel mali si malos. Nunquid enim si hoc audito, nonnulli in torporem segnitieque vertantur, & à labore proclivis ad libidinem post concupiscentias suas eant, propterea de præscientia Dei falsum putandum est esse, quod dictum est? Nonne si Deus illos bonos futuros esse præsciuit, boni erunt, in quantalibet nunc malignitate versentur; si autem malos, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur? Fuit quidam in nostro monasterio, qui corripientibus fratribus, cur quædam non facienda faceret, respondebat, qualiscunque nunc sim, talis ero, qualem me Deus futurum esse præsciuit. Qui profecto & verum dicebat, & hoc vero non proficiebat in bonum: sed vsque adeo profecit in malum, ut deserta monasterij societate, fieret canis reuersus ad suum vomitum; & tamen adhuc qualis sit futurus, incertum est. Nunquid ergo propter huiusmodi causas, ea quæ de præscientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt, vel tacenda, tunc scilicet, quando si non dicantur, in alios itur errores?] Hactenus Augustinus, qui plura ibidem, & toto libro de corrept. & grat. ubi ostendit, correptionem non esse superuacantem, etiam si obedientia & perseverantia sit gratuitum donum Dei, &c.

45 Tercio obieitur, sententiam illam non videri satis consonam diuinæ bonitati & iustitiæ. I. Quia cum Deus sit summa bonitas, & omnium finis, non conuenit, ut in bonis, quæ naturæ rationali ex se ante omnem præuisionem futurorum præparat, aliquos excipiat: nec verò excepit in alijs, ut patet in euectione naturæ rationalis ad statum supernaturalem, in sanctificatione omnium & Angelorum & hominum ante peccatum, in vocatione post peccatum, in donatione Redemptoris, in oblatione sacrificij ipsius, in Sacramentis, &c. II. Deus ex se, seu sola bonitate nunquam statuit aliquid, quod sit inutile & perniciosum creaturæ, & non tendat nisi ad eius perniciem: imò quo posito, melius esset homini non esse, quàm sic esse: *Deum enim non læsatur in perditione viuorum*, Sap. 1. & rursus Osee 13. ait, *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum*. Talis est negatiua reprobatio. III. Nemo bonus & sapiens

ita censeret de hominibus statendum: sed potius ita censebit quisque, Esto sint aliqui ita efficaciter eligendi ante omnem præuisionem, si ita uultis, at cæteri non sic electi non ita deserantur, ut omnes pereant: habeant auxilium uere sufficiens, iuxta communem rerum cursum & opportunitatem, nec solum incongruum pro illis seligatur, sed conferatur cum uero desiderio salutis, perinde ac si euentus adhuc ignoraretur, & nulla præscientia conditionata adesset. IV. Quia ex ea sequitur, si uera est illa sententia, Creationem reprobatorum non esse beneficium, sed summum maleficium: ac proinde exceptis paucis electis, reliquos omnes nullas debere gratias Deo de omnibus beneficijs ipsis collatis: quia tantum malum est ista negatiua reprobatio, ut melius sit non esse, quam cum illa omnibus istis beneficijs abundare, cum per illam omnia redantur inutilia, nisi quatenus prodesse possunt ad minorem damnationem. V. Si Deus ex se ita statuisset, tunc non elegisset tam paucos, nec præparasset tam exiguos gloriæ gradus pro multis, nec tam imperfecta opera illis decreuisset: non enim cupit ipse, ut tepide operemur, &c. VI. Nec multum laudis & præmij mereri uidentur electi, quod gratiæ tanto studio præparatæ respondeant, & opera prædefinita peragant, & merito excusare se poterunt reprobi, quod nec responderint gratiæ incongruæ, nec fecerint opera bona à Deo non præfinita; cum ex suppositione diuinæ uoluntatis neutrum aliter fieri poterit.

46 Respondeo primum, hanc ipsam obiectionem sub persona incredulorum aduersus suam de prædestinatione doctrinam obieciisse Apostolum Romanorum nono, uersu decimo quarto. *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum?* Et rursum uersu decimo nono. *Dicit itaque mihi: Quid adhuc queritur? Voluntati enim eius quis resistit?* Idem frequenter ex mente & sensu Pelagianorum & Massiliensium obieciabant sibi. Augustinus, & Sanctus Thomas, alijque Scholastici, nec tamen aliud respondebant, quam illud Apostoli: [O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, Quid me fecisti sic? annon habet potestatem figulus, &c. Item, Annon licet mihi quod uolo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?] & similia, ut uidimus supra quæstione 4. dubio 1. assertionem 3. & dub. 3.

47 Respondeo secundo, cum hæc, ut sæpius dictum, non tam impugnent gratuitam electionem ad gloriam, quam selectionem & discretionem, imò & ipsam gratuitam prædestinationem gratiæ congruæ electorum propriæ, quæ secundum nullam probabilem sententiam negari potest, ut dictum dubio primo, ea non tantum à nobis, sed ab omnibus, qui de prædestinationis materia probabiliter disserunt, dissoluenda esse. Ego uero ita particulatim respondeo. Primum assumptum nego, & aio, nostram magis, quam oppositam sententiam esse consonam bonitati diuinæ, quæ ex eo magis commendatur, quod summa etiam illa & specialia gratia bona, ut est gloria, &

gratia congrua, ex se, & non expectata hominis cooperatione, saltem quibusdam speciatim dilectis efficaciter destinari.

Ad probationem 1. dico falsum assumi; non solum quia Deus ex se, & non ob præuisa merita, uoluit humanitatem Christi eleuare ad beneficium hypostaticæ unionis, (& uisionem beatificam) quod non uoluit ulli alteri naturæ; sed etiam quia iuxta oppositam sententiam, Deus ex se & ante meritum præuisionem elegit ad gloriam saltem ipsam Beatam Virginem: & manifestissimum est, Deum ex se multas, magnas, & peculiarias gratias supernaturales destinasse Patriarchis, Prophetis, Apostolis, alijsque Sanctis, quas alij denegauit. E uero, quæ in obiectione referuntur, solum sunt generalia, seu communia diuinæ prouidentia media, hominem ad supernaturalem finem ordinantia, quæ merito omnibus communia Deus esse uoluit.

Ad II. respondeo, falsum itidem assumi, nisi restringatur ad decretum culpæ aut pœnæ, quæ pœna est; seu absolute ad pœnam æternæ damnationis, quo modo intelliguntur Scripturæ adductæ: cum interim iuxta sententiam oppositam, uix uideatur defendi posse, solam perditionem ex homine esse, & tantummodo in Deo auxilium, si Deus nec gratiam congruam, quæ talis est, nec gloriam destinari, ante præuisionem humanæ cōoperationis. Exemplum habemus in permissione peccati Angelorum & hominum, quam planè Deus ex se, & ante præuisionem operationis seu demeritorum statuit, cum tamen multis utique sit permissiosa. Respondent, non statuisse eam proprie ex se, sed quia ratio rerum, & uniuersalis administrationis eam postulabat, &c. Respondeo hoc non ob stare, quo minus ex se statuerit, quia ex se statuerit hoc loco nihil aliud est, quam nullo merito uel demerito hominis aut Angeli inuitatum ita statuisse, quo sensu etiam in præsentibus dicimus, Deum ex se aliquos elegisse ad gratiam & gloriam, alios non item: tamen si utique ut id faceret, ratio rerum, & uniuersalis administrationis non minus postulabat, quam ut peccatum permitteret, ut probauimus supra quæstione quarta, dubio primo, & hic dubio præcedenti.

Ad III. Respondeo, neminem, nisi summe ac infinite perfectum, ita posse statuere; requirit enim eiusmodi decretum inter alia, & infinitam bonitatem, & infinitam præscientiam mediam, sine qua decretum illud stare non potest, ut dictum disputatione secunda; quæstione quinta, dubio ultimo. Ut autem DEVS hoc negotium communi solum rerum cursui & opportunitati relinquat, nec in seligenda gratia congrua pro electis uia speciali prouidentia utatur, sed perinde agat, ac si euentus adhuc ignoraretur, & nulla præscientia conditionata adesset; id quidem, ut opinor, nemo bonus & sapiens optare poterit; quia hoc esset uelle DEVM in ordinem imperfectorum agentum redigere, & prouidentiam DEI quasi cæcam reddere: cum proprium sit Dei, infallibiliter sub conditione prouidere, &

quid ex suis decretis etiam contingenter futurum esset.

51 Ad IV. respondetur, negando sequelam. Quia cum Deus vero & sincero affectu voluntatis (non tamen efficaci) creet omnes, vt saluificent, atque ad hoc offerat omnibus auxilia vere sufficientia, ita vt culpa perditionis solum penes ipsos homines hæreat, nihil est, cur debitum gratitudinis ob superuenientem perditionem impiorum tollatur; cum è contrario potius minuatur gratitudinis affectus in electis, si Deus illos non ex se tam ad gloriam, quam ad gratiam congruam selegerit, & discreuerit. Neque vero illud ab exemplo Iudæ desumptum, Melius est non esse, quam sic esse, ad solam per se negationem gratiæ congruæ rectè accommodari potest; sed ad perditionem, & damnationem æternam; quæ tamen non per se & absolute necessariò ex ea negatione, sed ex malitia hominis & abusu gratiæ oblatæ consequitur.

52 Quod si iusta damnationis pœna omnia beneficia diuina obliterat, & ab omni gratitudinis debito exoluit, id etiam iuxta oppositam sententiam fiet, in qua vtique Deus etiam in eo ordine rerum potuit collocare omnes, in quo infallibiliter saluarentur omnes. Aiunt, reprobationem istam, quam ipsi docent, non habere reprobos primitus & originaliter à Deo, sed à seipsis suisque peccatis, quibus Deus quodammodo coactus est illos reprobare. Sed hoc planè falsum est: annon enim Deus potuit sua gratia præueniente peccata eiusmodi impedire & anteuertere? annon etiam, vt cum alijs fecit, eos rursus à peccatis quamuis grauissimis gratuita bonitate liberare? Respondent secundo, Deum in eo ordine rerum decernere posteriora propter priora, seu motum & inductum à prioribus. Sed & hoc vniuersum falsum est. Quod enim quæso motitium erat in Saulo, vt post tam diram persecutiõnem Christianorum, subito ad fidem & Apostolatam, tam extraordinario, efficaci & potenti modo vocaretur? Vt de alijs innumeris taceam, quos Deus in profundissimo aliquando peccatorum omnium barathro, nullis certè bonis, sed multis malis meritis præcedentibus illuminauit, & ad penitentiam vocauit: cum tamen alios è contrario post multos sæpe annos vitæ optimè actæ sub extremum vitæ siuerit labi & perire. Annon Deus prius illud omnibus alijs præstare potuisset, & ita eos à damnatione præseruare? Vide supra quæstione quarta, dubio quinto.

53 Ad V. Quod ad paucitatem electorum attinet, iam responsum est superius ad I. Idem de gradibus gloriæ seruata proportione dicendum: quanquam si non nisi vnus & minimus omnibus gradus visionis beatificæ fuisset decretus, id abundè & perfectionem & bonitatem Dei commendaret: equidem si mihi destinatus esset, pro eo infinitas libentissimè Deo gratias agerem. Ad imperfecta opera & tepiditatem operandi quod attinet, supponitur falsum, quasi Deus imperfectionem illam & tepiditatem, qualis in nobis merito culpatur, iuxta nostram sententiam. Deus ex

se prædefinierit. Minime verò. Sed in eiusmodi operibus duo sunt spectanda; nimirum bonitas operis tanta vel tanta, & extrinsecus admixta malitiæ imperfectio; primum Deus ex se summa sapientia & bonitate prædefinit; paratus tamen interim etiam maiori vi concurrere, si ad maiorem cooperationem homo se determinaret; quod tamen supposita scientia media nunquam est futurum: posterius Deus nullo modo vult, nedum ex se prædefinit.

54 Ad VI. Respondetur; imò multum laudis promereri electos, quia cum absolute potuerint, transgredi diuina præcepta, non sunt transgressi; & iustam damnationem incurrere reprobos, quia cum absolute potuissent obedire diuinis mandatis, non obediuerunt: neque enim etiam stante decreto illo diuino circa vtrosque, aliud fieri ab vtrisque impossibile erat, nisi impossibilitate, consequente, & in sensu composito; eo modo, quo etiam stante præscientia diuina secus facere, vtrisque impossibile erat, vt suo loco dictum, & bene etiam declarauit Valquez disput. 98. cap. 4. numero 24.

55 Quarto obijcitur, videri planè hunc modum, electionis tollere omnem sollicitudinem bonorum operum & salutis. I. Quia iuxta eam locum habet ratiocinatio illa; Vel sum de numero electorum, vel non sum. Si sum, impossibile est, vt damner; nec est quod sim sollicitus de bonis operibus, aut perseverantia aut progressu; sed Deus ipse excitabit me ad illam sollicitudinem, & faciet vt sim sollicitus: quia hæc omnia mihi cum omnibus suis circumstantijs sunt decreta absolute & efficaci decreto, quod immutari aut frustrari non potest. Si vero non sum de numero sic electorum, frustra etiam sum sollicitus, frustra præcepta seruo, frustra consilia Christi & statum perfectionis sector, quia certissimus sum, hæc omnia nihil mihi in re profutura ad salutem; omnibus enim istis non possum intrare in istum numerum, extra quem nemo saluatur. Non sola autem impotentia, sed etiam certitudo frustrationis effectus tollit conatum. II. Quia ita Viri quidam docti falsi sunt, se nescire, quo futuri sint animo, in religionis iugo ferendo, si eam sibi sententiam persuasam haberent, &c. III. Quia in ordine ad praxin & affectum humanum, non videtur ea sententia multum discrepare à sententia hæreticorum huius temporis; nec minus tollere sollicitudinem bonorum operum, & inducere licentiam vitæ, quàm illa; parum enim interest, sitne quis positiuè ita reprobatus, an solum negatiuè: item siue dicatur electio adferre necessitatem bonorum operum intrinsecam, siue extrinsecam, cum omnia æquè certo sint futura. IV. Si Deus omnes non sic electos positiuo decreto reprobasset, & à regno excludere statuisset, & vellet hoc decretum occultis modis exequi, sub specie quadam benignitatis & misericordiæ, non alia ratione id commodius & certius præstaret, quam illa, quam nos statuimus, nimirum res humanas sic dirigendo, & tales

gratias

gratias illis præparando, cum quibus sciebat certissimè frustrandos effectus.

56 Respondetur primò, & hanc quoque obiectionem non tam impugnare electionem Dei gratuitam ad gloriam, quam selectionem & discretionem gratiarum pro electis, quæ tamen nulla probabilitate negari potest, ex dictis dub. primo. Quare etiam à Massiliensibus contra Augustini sententiam de prædestinatione olim opposita fuit, teste Prospero in epist. ad Augustinum, ubi ex mente Massiliensium hæc habet: [Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani eligendorum & reijciendorum dicitur facta discretio, vt secundum quod placuerit Creatori, alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis afferre; eò quod in vtramque partem superfluus labor sit, si neque reiectus vlla industria possit intrare, neque electus vlla negligentia possit excidere. Quoque enim modosegerint, non posse aliud erga eos, quam DEVS definiuit, accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem, cum si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit annitentis intentio. Remoueri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio (sive decretum) humanas præueniat voluntates: & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem. Quotamen non obstante, Prospero ibidem asserit, Deum secundum propositum & consilium voluntatis suæ occulto iudicio, & opere manifesto, aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliæ.]

57 Respondeo secundò ad principale argumentum & assumptum; 1. prudenter id videri nemini posse: quia præter cætera communia motiua ad sollicitudinem bonorum operum sufficit & libera facultas bene operandi, & spes fructus ac æternæ salutis, quam neque nostra sententia minuit, nec opposita auget; ea enim remotè defumitur ex promissis communibus & vniuersalibus Dei, quæ etiam in nostra sententia ad omnes pertinent, vt dictum supra ad obiect. 2. propinquè verò defumitur ex particularibus indicij & signis prædestinationis, quæ cæteris paribus in vnoquoque eò sunt maiora & clariora, quò maius studium bene operandi adhibet; è contrario verò minora, vt dicitur q. 6. dub. 4. & verò nec alia, nec maiora vsquam spei adminicula opposita sententia supeditat, quam nostra; nec in vlla sententia de salute planè certi esse possumus; sed iubemur vtrunque cum timore & tremore salutem nostram operari, & inter spem ac metum nec elati; nec planè deiecti, sed erecti incedere: quid ergo ad pietatem adminiculi habet opposita sententia, quod nostra non habeat?

58 Præclare ad hoc propositum S. Augustinus lib. de prædest. Sanct. cap. 11. [Miror, inquit, homines infirmitati suæ malle committere, quam firmitati promissionis DEI. Sed ignota est mihi, inquis, de me ipso voluntas DEI. Quid ergo? Tuane tibi voluntas de te ipso certa est, nec times? Qui videtur stare, videat ne cadat. Cumi-

gitur vtraque incerta sit, cur non homo firmiori, quam infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit? Et ibidem cap. 12. merito reprehendit Massilienses, quod nisi aliquid sibi assignent, quod prius dent, vt retribuatur eis, ab omni studio pietatis reprimi se putant. De quibus etiam Hilarius in sua epistola ait: Nec ad incertum voluntatis Dei deducisse volunt, ubi eis quantum putant, ad obtinendum vel omittendum euidentis est qualescunque sit initium voluntatis.] Plura ex S. Augustino lib. de bono perseuer. retulimus supra ad obiect. 2.

59 Inidè verò in contrarium aio, hanc sententiam de gratuita prædestinatione Dei, supposita saltem probabili spe salutis, adeoque prædestinationis, quam singuli habere aut procurare possunt & debent, non solum veræ pietati nihil officere, sed ei potius plurimum adminiculi. Tum quia, magno opere confert ad veram humilitatem & submissionem animi erga Deum, vt hac ratione omnia bona gratuita eius bonitati, ac indebitæ misericordie in solidum transcribamus; saltem originaliter & secundum primum diuinæ prædestinationis decretum. Tum quia non parum etiam confert ad dilectionem & gratitudinem erga Deum, quando hac ratione agnoscimus, Deum nobis (vt bene speramus) electis, singulari amore & gratuita bonitate, speciali que cura & prouidentia prædestinasse & gloriam, & selegisse, ac discreuisse gratiam congruam electorum propriam.

60 Ex quo etiam affectu, non obstante incertitudine prædestinationis, quæ, vt dictum, in omni sententia pariter confitenda est, nascitur pietissimus ille, & optimo ac sapientissimo cuique, confectus erga Deum affectus, & animi deliberantis inductio; Aut sum prædestinatus, aut non sum: si sum, tantò magis mihi Deus impensè amandus & colendus est, quia deo ab æterno me gratis amauit. Si non sum, in id saltem dum viuam incumbendum mihi est, vt tam bonum erga bonos, & terribilem erga malos Dominum, quam fieri potest, minimè offendam, ne & maiora mihi inde supplicia adfiscam, & nec iam quidem tantisper eius gratia potiar. Ita planè iustum est, humiliari sub potenti manu Dei, cuique subditum esse, & sentire de Deo, eiusque gratuita prædestinatione in bonitate, ne aut lutum aduersus figulum efferatur, & dicat, quid me fecisti sic? aut vile mancipium aduersus Dominum adeo terribilem & fortem, in proteruum illud erumpat, Non seruiam. Sanè ad ostendendum, omnia nostra opera ex diuino nutu ac dispositione potius, quam nostra pendere, multò aliter de hac re cum S. Ambrosio censet & loquitur Augustinus de bono perseuer. cap. 8. Apostolum secutus, inquit, B. Ambrosius audeat & dicat: Non enim in potestate nostra est cer nostrum & nostra cogitationes: quod omnis quis humiliter & veraciter pius est, esse verissimum sentit.

61 Quare obiectionem illam ex dictis ita refello & retorqueo. Quando obijcitur, sententiam hanc nostram tollere omnem curam salutis, & parere desperationem & licentiam vitæ &c. aut sermo est de ijs, qui spem adhuc aliquam salutis

& confortij prædestinatorum habent, aut sanè habere possunt & cupiunt: aut est sermo de impijs, qui nullam penitus salutis, aut societatis electorum spem habent, aut habere curant. De prioribus hoc dici non potest: quando tales ea spe excitati, multò maiorem causam habent amandi Deum, eique se gratos exhibendi, quàm in opposita sententia, vt dictum: posteriores autem illi quid mirum, quod sapientissimis Dei consilij scandalizantur, & in maiorem inducuntur impietatem, quando scriptum est, *Omnia munda mundis, conquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, &c. cum sint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* Tit. 1. versu decimo quinto. Et rursum Apocal. 22. versu vndecimo. *Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Et certè vt manifestum est reprobationis signum, contra Deum contumaciter efferri, eiusque consilia reprehendere, ita ex aduerso non exigua prædestinatorum videtur nota, diuinæ voluntatis quamuis abstrusissimis decretis se humiliter submittere. Nunc ad probationes respondendum.

62 Ad I. Respondetur primò, impium illud dilemma in omni sententia dissoluendum esse; quando non tam gratuitam Dei prædestinationem, quam necessitatem gratiæ diuinæ, cuiusque efficaciam impugnat; cum tamen de fide sit, neminem quicquam boni, ad salutem perueniens, nisi præueniente Dei gratia excitatum efficere posse, neque etiam re ipsa quicquam boni effecturum vnquam, nisi gratia illa præueniens sit efficax: semper ergo licebit impio dicere, si sum prædestinatus, aut quomodolibet à Deo præordinatus, vt bene operer, non est cur sum sollicitus, sed Deus sua decreta exequendo, pro me erit sollicitus, vt gratia sua efficaci me excitet ad sollicitudinem, & faciat, vt sum sollicitus, &c. Eandem aut similem rationationem ex sola etiam præscientia diuina ab impijs conungi posse, iam antea ex Augustino ad obiectionem secundam notauimus.

63 Respondetur securdò, eam rationationem non solum impiam, sed etiam stultissimam esse, vt pote quæ se ipsam perimit: quia etiam si DEVS per seipsum decreuit mihi gloriam & gratiam congruam, quæ me efficaciter inducat & faciat operari, non tamen illa suum effectum habebit, aut habere poterit absque mea sollicitudine & cooperatione; neque vero etiam Deus gloriam adultis destinauit, nisi per meritavsq; ad finem perseveratura, vt dictum dubio præcedenti. Ergo si sum prædestinatus ad gloriam & gratiam congruam, non ideo debeo proteruius resistere diuinæ voluntati, meæque salutis curam abijcere, sed potius curare, vt oblata gratiæ diuinæ cooperer, atque ea supposita ita me decretis diuinæ voluntatis accommodem, vt merito sperare, & velut ab hoc signo colligere possim, me in numero electorum esse, &c. Atque huc pertinet quod ait Apostolus 2. Tim. 2. versu decimo nono. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Cognouit Dominus qui sunt eius; & discedat ab iniquitate omnis qui nomi-*

nat nomen Domini. Et versu vigesimo primo. *Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum, Vtrumque ergo ad salutem requiritur, & prædestinatina notitia ex parte Dei, & cura propriæ salutis, ex parte hominis.*

64 Ad II. responderetur, alios viros doctos & sapientes, speciatim Sanctum Augustinum & Sanctum Thomam, aliter affectos fuisse: neque vero magnæ perfectionis est, Religionis iugum ideo solum ferre, quia incerta quadam, esto probabili opinione de modo diuinæ prædestinationis duceris, aliàs iugum id non laturus; cum sola per se vis & obligatio diligendi Deum satis ad hoc momenti habere possit & debeat. Sed bene est, quod illi viri docti solum de contingenti futuro loquuntur, quod nescire nos omnes pariter fatemur: quo enia nunc animo sumus, fortè scimus; sed quo cras futuri simus, non scimus.

65 Ad III. respondeo, nihil opus esse, falso præiudicio ac censura grauari celebratissimam & probatissimam sententiam, quæ ab hæreticorum sententia plus quam toto cælo differt. 1. quia illa tollit planè libertatem: quod nostra sententia minimè facit; cui etiam falso imponitur, quasi necessitatem extrinsecam inducat, cum solum necessitatem comitantem, seu consequentem inducat, quæ libertati nihil penitus præiudicat, vt suo loco dictum disputat. 2. quæst. 10. dubio octauo. 2. Illa Deum facit authorem & impulsorem scelerum; nostra minimè. 3. Illa Deum facit Tyrannum, qui ante præuisionem peccatorum absoluto decreto decernat omnibus damnandis æterna inferorum supplicia: nostra minimè. 4. Illa dum libertatem tollit, omnem veri peccati rationem tollit, ac proinde rursus Deum iniquissimum reddit Iudicem, dum eum peccatorum tam seuerum vindicem statuit, quæ dequirare in nostra non est potestate. Anne vero ad praxin & affectum humanum non multum interest, hoc aut illo modo sentire?

Ad IV. Respondeo falsum assumi: si enim Deus ex se ad inferni pœnas aliquos positiuo decreto destinasset, tum veller & procuraret media necessaria ad eum finem, nimirum actiones quaslibet sceleratas, ad easque impelleret, &c. vt Calvinus eiusque assecla docent: quod tamen nos velut execrabilem blasphemiam detestamur. Vide Calvinum libro tertio Instit. capite vigesimo secundo §. 2. & capite vigesimo tertio §. 4. & Bezam in Actis Colloq. Mompel. part. 2. passim. In quibus hunc errorem etiam ex ipsis Calvinistis mollioribus non nemo & notauit, & damnauit, dum scribit: *Calvinus peccatum à Deo tanquam medium quoddam exequendæ reprobationi subordinatum seu tanquam necessarium huius consequens eidem substratum esse docet; eoque decretum hoc horribile ipse appellat. Ita vt ex illius sententia, reprobi primo nude ad exitum æternum: deinde ad peccatum ipsum inenitabiliter à DEO destinati sint. Qui sanè duplex & quidem insignis Calvinus error occurrere fortasse ac dissimulari potest; sed*

constanter excusari ac defendi nunquam potest. Ego quidem recitare nunc ista maluissim, sed à D. S. coactus veritati testimonium dare debui. Ita iste.

66 Quintò obijcitur. Videtur tollere zelum animarum. I. Nam si omnes saluandi ante omnem præuisionem mediorum sunt electi, ergo saluabuntur, etiam si ego prædicando, monendo nihil cooperer: quid ergo multum angar in procuranda aliorum salute? II. In sanctis viris zelum hunc non admodum excitat, nisi persuasio illa & spes, sua opera aliquos saluandos, qui aliqui damnarentur; quæ persuasio excludit illam electionem absolutam, & reprobationem negatiuam. III. Si quis dicat, Deus etiam hunc zelum absolutè prædefiniuit, & ut isti per te saluentur. Respondetur. Si ita est, nihil est, quod ego ad illum me excitem: ipse me excitabit.

Respondedo hanc obiectionem similem esse priori. Vnde breuiter negatur primum assumptum. Ad I. rationem responderi potest primo negando sequelam antecedentis. Nam etsi ordine intentionis decreta sit gloria ante media; fieri tamen potuit aliquando, ut quoad subsistendi consequentiam dependenter fieret à certis medijs, ut in simili dicitur inferius quæstione quinta, dubio septimo. Respondetur secundo negando postremam consequentiam: sunt enim alia motiua, quæ zelum animarum excitant, ut mox dicitur.

67 Ad II. respondetur, si legantur Acta Apostolorum, simul cum epistolis Pauli, aliorumque Apostolorum, nunquam in eis, ut opinor, inuenietur, Apostolorum aliquem sibi hoc arrogasse, sua opera aliquos saluandos, qui alioquin, nisi ea particularis & indiuidua opera interuenisset, essent perituri: sed longe alia apud eos inueniuntur motiua, ut I. illud Pauli, *Va mihi est, si non euangelizauero.* 2. Illud eiusdem, *Momentaneum est leuue tribulationis huius, &c.* Et, *Qui parce seminat, parce & metet.* 3. Illud eiusdem, *Charitas Christi urget nos: neque enim charitatis est, negligere opera pietatis, si existimes eis alios non defuturos, sed potius præuenire alios.* 4. Illud eiusdem, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Neque verò vllum Sanctorum, etiam si maximum fecisset in Ecclesia fructum, audiui aut legi gloriantem: Ego per Dei gratiam hoc feci, & nisi ego fecissem, alius non fecisset, &c. sed contrarium potius, cum quis diceret, Etiam absque me non defuisset Deo aliud medium, quo bonum hoc perageret, &c. imò existimo, contrariam illam animi persuasionem Christianæ modestiæ non satis esse consonam. Augustinò quidem libro I. de prædest. sanct. cap. I. causam sui laboris indicare volenti satis fuit dicere: *Vnde enim scimus, ne forte DEVS noster id pec hanc nostram velis efficere seruitutem, quæ eis in CHRISTI libera charitate seruimus.*

68 Ad III. Iam antea responsum est in simili, nimirum Deum quidem excitare, sed non trahere, nisi tu sponte sequaris. Trahit enim volentem, ut Sanctus Augustinus: neque verò hoc agitur, ut tu prior te excites, à Deo non excitatus, sed vt

excitantem sequaris, & excitatus excites, seu potius animum applices ad noua semper opera bona faciendâ, &c.

Sextò obijcitur. Non videtur illa sententia consentanea naturali rerum ordini, & cursui, ac gubernationi vniuersi. I. Quia iuxta eam dicendum foret, non solum omnes, qui modo saluantur, fuisse etiam saluandos, si Adam non peccasset, sed etiam omnes, qui modo damnantur, fuisse in illo statu rerum damnandos: sicut enim illi ante omnem præuisionem peccati Electi, ita hi in eodem rationis signo negatiuè sunt reprobat. II. Omnes homines, tam reprobi, quam electi (sed præcipuè electi) in statu innocentie debuissent nasci ex eodem semine, ex quo modo nascuntur, & alijsdem cibis, quibus modo aluntur; quia non solum animæ, sed etiam corpora in primo illo signo sunt prædefinita, ac proinde ex eadem prorsus materia, ex qua modo constant, in illo statu constare debuissent. Quæ tamen omnia sine specialissima & maxime extraordinaria providentia & procuratore Dei fieri non potuissent, præsertim cum iam multi nascantur à reprobis & occasione peccatorum, & per adus peccaminosos, &c. ea verò tam extraordinaria providentia Dei sine solido fundamento non est asserenda. III. Omnes debuissent peruenire ad eodem gradus gloriæ, ad quos modo pertingunt: quod tamen de infantibus, item de Apostolis, B. Virgine, Ioanne Baptista, & similibus videtur incredibile.

Respondetur, non debere quidem diuinæ Prædestinationis processum ita consentaneum esse naturali rerum ordini ac cursui, quasi nihil in eo supra naturam peragi debeat; cum ipse met sit ordinis supernaturalis, non naturalis: attamen nihil ex eo absurdum & incredibile consequens esse. Ad probationes respondetur primò, nihil eorum necessario consequens esse: quia tametsi ordine intentionis electi omnes prædestinati sint ante præuisionem peccati, fieri tamen potuit, iuxta diuinæ mentis dispositionem, ut alio quodam ordine independentiæ, siue secundum subsistendi consequentiam, Deus non prædestinaret omnes, nec præcisè ad hos vel illos gradus gloriæ, aut gratiæ, ante præuisionem peccati, sed simul cum præuisione peccati: quemadmodum vniuersim docuimus disputatione 2. quæst. 10. dubio 5. assert. 10. & paulo post iterum de Christo dicitur.

Respondetur secundo cum Suarez hic libro I. de prædest. cap. 12. num. 11. potuisse Deum sine vlla difficultate, etiam durante statu innocentie, ita res humanas gubernare, ut seclusis peccatis, tandem ijdem homines secundum animas & corpora, eù eodè gradu gratiæ & gloriæ saluarentur, qui nunc saluantur: habet enim Deus in thesauris suæ sapientiæ & potentiæ infinitas vias & modos, quibus id facere posset. Vt autem ijdem omnes tunc damnarentur, nihil opus erat, etiam ob eam causam, quod damnatio non fuerit decreta, nisi post præuisionem peccati: reprobatio autem negatiua, seu prætermisio aliorum in prædestinatione nec ex se necessariò supponit illo-

rum existentiam; neque necessario infert damnationem; cum prætermitti absolute in statu puræ naturæ relinqui potuissent, atque etiam insuper in posteriori aliquo signo prædestinari, ut superius dictum. Vtrum autem illorum absolute futurum fuisset, ipse optimè nouit, qui sua consilia perfectè solus nouit; quis enim consiliarius eius fuit? ego tamen in priorem responsionem magis inclino.

71 Septimo obijcitur, ex hac sententia plurimum videri minui beneficium Redemptionis, & gratitudinem, quam Christo debent omnes electi ratione Redemptionis, & omnium gratiarum, quas in vita accipiunt, & salutis æternæ, quam obtinent: quia iuxta illam, etiamsi Christus eos non redemisset, æquè bene illi erant saluandi, & in eadem sanctitatis & gloriæ mensura. Siquidem Christus ex ea sententia non fuit causa meritoria prædestinationis, sed solum executor. Quod auctores illi necessario fateri debent, cum ponant electionem omnium & singulorum factam etiam ad certum sanctitatis & gloriæ gradum, ante omnem præuisionem permissionis peccati & futurorum, & independenter ab hoc vel illo modo exequendi: cum tamen Christus non fuisset venturus, nisi Adam peccasset, neque adeo etiam vel Incarnatio Christi, vel passio eius fuerit præordinata ante præuisionem peccati.

72 Respondeo, nihil minui; quia vltro fateor, ipsam quoque prædestinationem omnium factam esse ex meritis Christi, & non solum executionem: quia tametsi CHRISVS non fuisset venturus in carne, si Adam non peccasset, ac proinde quoad subsistendi consequentiam Christus non fuerit prædestinatus ante præuisionem peccati; ordine tamen intentionis prior fuit Christi Incarnatio, quam permissio peccati, aut etiam aliorum hominum vel Angelorum prædestinatio, ut dudum docui in materia de Incarnat. & rursum dicitur dubio septimo. Quomodo autem alij auctores, qui ponunt CHRISTVM primum prædestinatum post præuisionem peccati, ad hanc obiectionem respondeant, ad me nihil attinet.

73 Dices, saltem passionis & mortis Christi meritum minui, quando ea non est prædestinata, nisi post præuisionem peccati. Respondeo I. meritum passionis ac mortis CHRISTI potissimum ac principaliter consistere in voluntate, ac præparatione animi ad patiendum; qualis esse potuisset etiam ante permissionem peccati. Responderetur secundo. Tametsi quidem passio Christi ordine intentionis non fuerit prædestinata ante permissionem peccati, tamen quoad subsistendi consequentiam non erat omnino posterior Incarnatione Christi: quia sicut hæc non fuisset, si peccatum non fuisset, ita etiam non erat futura, nisi in carne passibili, & subsecutura passione ac morte, sine qua proinde etiam non erat futura prædestinatio ex meritis Christi.

74 Atque hæc magis consona videntur nonnullis communi sensui Scripturæ & Sanctorum Patrum, qui ita loquuntur de Incarnatione, atque etiam de Redemptione Christi, ac si absque illa

nemo saluus esse posset, sed omnes essent perituri ac damnandi, nec salus ex vi decreti diuini nobis aliunde esset proventura: quanquam hæc intelligi optimè possent secundum ordinem executionis, & supposita permissione peccati. An, verò hinc absolute consequens sit, neminem fore saluandum, nisi Adam peccasset, quandoquidem si ille non peccasset, Christus non erat venturus; & si Christus non esset venturus, nullus erat prædestinandus; siquidem omnes per Christum fuerunt prædestinati, dicitur infra dub. 7.

75 Octauo obijcitur. Hæc sententia explicata populo, & diligenter expensa, parit scandalum, & licentiam vitæ, torporem inijcit, & amaritudinem animi & desperationem adfert. I. Quia constat quosdam ex ea sententia in grauissimos moerores, & barathrum desperationis delapsos; alios verò doctissimos & optimos viros eam grauius eo nomine accusare; quodque metuerent, sibi effrenem vitæ licentiam, si eam in animum demississent. II. Speciatim hodie plurimi sunt, qui occasione disputationum, quæ in Hollandia & coniunctis Prouincijs maximè, iam plus quam decennium vigent, eius sententiæ imaginatione, afflicti & perturbati sunt.

76 Respondeo, hac de re multa iam dicta esse superius ad obiectionem quartam, quibus addo; sententiam hanc diligenter expensam, & bene intellectam, apud animos pios, Deumque timentes; nullum parere scandalum; nisi forte, ut subinde fit, falsa quædam ei affingantur, ut hac ratione etiam bonis exosa reddatur; quia, ut dictum, *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* Psalmo 118. Quid enim in hac re non summæ potius consolationis, quam scandalali, quod Deus sola sua gratuita bonitate innumeras quodammodo hominum Angelorumque myriades prædestinauerit ad gratiam & gloriam, alijs, quibus nihil debebat, prætermittis; & vtrisque interim plena & perfecta libertate tam ad bene, quam male agendum relicta; licet infallibiliter illi quidem ante finem vitæ bene sint acturi, hi malè; atque in eo statu vtrique iuxta præscientiam Dei mediam decessuri. Annon idem ferè in omni sententia dicendum?

77 Annon gratis Deus saltem ad gratiam congruam saluandos omnes prædestinauit; quo facto iam ipsi quidem & omnes, & soli, infallibiliter saluantur? Quid de cætero refert, quod gloriam post præuisionem meritorum prædestinavit, si gratiam gratis prædestinauit, ex qua, supposita scientia Dei media, quæ negari nullo modo potest, infallibiliter consequitur gloria, & quidem apud eos omnes & solos, quibus ea gratia Electorum propria gratis prædestinata est? An ipsam etiam huius gratiæ gratuitam prædestinationem negabimus, ut scandalum declinemus, contra apercissimas Scripturas, contra luculentissimas Augustini, Fulgentij, Prosperi, Cælestini, ipsiusque Ecclesiæ disputationes, & decisiones? Quod si ea sententia, etsi per se verissima, aut falsis præiudicijs & interpretationibus deprauata, aut in tempestiuè disputata, rudibus quibuslibet proponatur, quid mirum si scandala oriantur, non

eius sententiæ vitio, sed deprauantium, aut imprudenter proponentium culpa?

78 Quam in hac ipsa etiam re, & vbi de sua ipsius sententiâ circa prædestinationem agit, ita cauendam sapienter dudum admonuit Augustinus libro de bono perseuer. cap. 16. vt tamen etiam veritas suo loco non taceatur. [Dicatur ergo verum, inquit, maximè vbi aliqua quæstio vt dicatur impellit, & capiant qui possunt: ne forte cum taceatur propter eos, qui capere non possunt, non solum veritate fraudentur, verum etiam falsitate capiantur, qui verum capere, quo caueatur falsitas, possunt. Facile est enim, imo & vitale, vt taceatur aliquod verum, propter incapaces. Nam vnde est illud Domini, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo, &c. Sed alia est ratio verum tacendi; alia verum dicendi necessitas. Causas verum tacendi longum est omnes quærere vel inferere: quarum tamen est hæc vna, ne peiores faciamus eos, qui non intelligunt, dum volumus eos, qui intelligunt, facere doctiores: qui nobis aliquid tale tacentibus doctiores quidem non fiunt, sed nec peiores fiunt, &c.] *Hæc Augustinus.*

79 Ad primam probationem respondetur, alios ipsius etiam diuinæ præscientiæ infallibilitate fuisse scandalizatos, vt ex Augustino superius retulimus. *Sunt etiam, inquit eodem capite decimo sexto Augustinus, qui propterea vel non orant, vel frigide orant, quoniam Domino dicente didicerunt, scire Deum, quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo. Num propter tales huius sententiæ veritas deserenda, aut ex Evangelio delenda putabitur? Sane quidem existimo, paucissimos ex ijs, qui occasione cogitate prædestinationis scandalizantur, eo præcisè scandalizari, quod nostram doctrinam sibi propositam habeant; tum quia pauci eam intelligunt: tum quia facile possunt, si volunt, in oppositam sententiam ire, quod nulli prohibemus: sed plerique scandalizantur, si qui scandalizantur, aut occasione doctrinæ Calvinisticæ de prædestinatione, quæ à nobis est alienissima, vt dictum, aut circa prædestinationis, aut diuinæ præscientiæ infallibilitatem in genere; vnde sumitur vulgatum & impium illud dilemma, Aut sum prædestinatus, aut non, &c. aut falsa informatione & propositione eius doctrinæ.*

80 Viris illis doctis & pijs, quoties obijciuntur, opponimus doctiores & sanctiores Sanctum Augustinum, & S. Thomam, aliosque innumeros, vt superius dictum. Et audiui ipse alios viros pios & doctos e contrario asserentes, suppositis nimirum probabilibus indicijs factæ de se prædestinationis, magno sibi solatio & ad pietatem incitamento esse, quod Deus tam singularem de se, alijsque electis curam & prouidentiam, cum gratuita illa dilectione coniunctam habeat. Sed & supra dub. 3. Sixtum Senensem attestantem vidimus, oppositam sententiam, cum à se prædicaretur, plerisque pijs & doctis Theologis non fuisse probatam.

81 Ad II. Respondeo, eo ipso, quod occasione Hollandicæ controuersia ea perturbatio conscientiarum oritur, illos qui obijciuntur, vtique non

ex nostræ sententiæ imaginatione afflictos & perturbatos esse, sed ex imaginatione Calvinisticæ seu Gomaristicæ sententiæ, quam toto cœlo à nostra diuersam esse superius diximus ad quartam objectionem. Interim explicatio solida, prudens, & sincera omnem perturbationem quibusque intelligentibus facile poterit abstergere. Nequè vero par est, vt odio vnius hæresis, in aliuo extremo declinemus: quando præsertim in vtroque extremo hæreses inueniuntur, vt in proposito accidit, vbi in vno extremo est hæresis Calviniana & Gomaristica; in altero, hæresis Pelagiana, & Arminiana, partim etiam Lutherana ex dictis quæstione quarta dubio tertio, vt proinde necessario quantum ab vna recedis, tantum ad alteram accedas. In medio ergo consistit & veritas.

Præter hoc obijciuntur adhuc tria. 1. quod secundum hanc nostram sententiam reprobati ante præuisionem operum non solum negatiuè, sed etiam positiuè videantur exclusi. 2. quod ea ratione consequens sit, non solum personas ipsas, omnesque gradus gratiæ & gloriæ, sed etiam omnia opera bona cum omnibus suis circumstantijs fuisse à Deo ante præuisionem futurorum prædestinata; quod non videtur posse dici, &c. 3. quod non consentiat cum Augustino loquente de prædestinatione Angelorum. Sed hæc inferius suis locis expendentur: primum quidem quæstione septima dubio quarto, vbi de reprobatione agitur; secundum hac quæst. dub. sequenti; tertium dub. 9.

Iam vero ex omnibus rationibus in contrarium adductis atque hætenus dissolutis, iure merito cum Suarez lib. 3. de auxili. cap. 19. num. 28. dicere possumus, [communem hanc & receptam doctrinam; aduersantium conatu non tantum nihil labefactari, sed magis etiam illustrari & persuaderi. Quia hæc Electio nec libertati derogat, neque meritis. Item neque in aliquo minuit gratiam & prouidentiam erga reprobos; aliunde vero exaggerat amorem Dei erga prædestinatos plurimum, consonat Scripturis, conciliat dicta Sanctorum, & præsertim Augustini; est iuxta sensum communem antiquorum Theologorum; est radix valde proportionata singularis prouidentie cum prædestinatis. Est ergo illa sententia omnino præferenda.] *Et Henriquez lib. vlt. cap. 11. §. 5. & 7. ait, [hanc sententiam planè constare ex multis D. Augustini locis, qui vnus hac in re valeat pro mille testibus; item magis decere ad manifestationem diuinæ bonitatis, sapientiæ, & gloriæ, & vt ciuitas Hierusalem cœlestis esset ex viuis & electis lapidibus ordinatissime constructa, cum certo numero & pulcherrimo ordine gradusque dispositis; qualis ad propositum describitur Ezech. cap. 40. & Apocal. 21. secundum certam mensuram auream eximij artificis, &c. Vt in corporali mundi machina Deus fecit cœlorum numerum, cum certo stellarum aspectu & numero, quas varia magnitudine & fulgore disposuit, ad pulchritudinem orbis.]*

Et infra capite 12. §. 2. vocat hanc receptam

B. Thomæ, & Theologorum (quasi) consentientem assertionem.

D V B I V M VI.

An etiam certi gradus gratiæ & gloriæ, omnesque actus & media, quibus prædestinati efficaciter promouentur ad gloriæ obtinendam, in indiuiduo, & secundum omnes suas circumstantias, sint à Deo prædefinita, ante præuisionem cooperationis, ipsamue cooperationem nostram.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 5. & 8.

Variè de hac re loquuntur Theologi. Etenim præter eos, qui dixerunt, Deum quidem antecedenti voluntate, & prædefinitio decreto efficaciter, seu indefinitè homines & Angelos saluare voluisse, seu etiam certum ac definitum numerum saluandorum prædefiniisse, ita ut minor esse non posset; neminem tamen in particulari eodem prædestinationis decreto prædefinitasse; quos refert & refellit S. Thomas hic q. 23. art. 7. quosque etiam dub. 4. & 5. satis refutauimus; negatiuam sententiam primo tuentur omnes illi, qui negant, Deum adultos prædefinitasse ad gloriæ, ante præscientiam meritorum; hi enim multo magis negant, certum aliquem gradum gratiæ & gloriæ, ipsosque per se liberò actus, quibus gradus illi attingendi forent, fuisse à Deo ante præscientiam, aut saltem futuritionem cooperationis, seu determinationis liberæ prædefinitos.

Secundo alij, ut refert Suarez hic lib. 1. de prædest. cap. 10. num. 3. docent, decretum illud prædestinationis ante præuisionem cooperationis fuisse quidem ad certas personas indiuiduas prædeterminatum, non tamen ad certum terminum seu gradum gratiæ vel gloriæ, sed hunc primum fuisse decretum post præuisionem meritorum, seu cooperationis.

Tertio alij concedentes quidem, non solum certum etiam terminum seu gradum gratiæ & gloriæ à Deo ante præuisionem cooperationis fuisse definitum, sed etiam actus quoque ipsos in genere eodem decreti genere fuisse prædefinitos à Deo, negant tamen eos ante præuisionem aut futuritionem cooperationis nostræ, fuisse prædefinitos in particulari, & secundum omnes circumstantias.

Quarto Vasquez disp. 99. c. 7. & 8. & Molina citandus assert. 5. concedunt quidem actus saluatares prædestinatorum, imò etiam alios bonos & saluatares actus prædefinari à Deo, ante præuisionem seu futuritionem cooperationis nostræ, in sua causa; quæ est gratia congrua; negant tamen, ita prædefinari in seipsis; Quæ quidem sententia non tam est à prima sententia diuersa, quam quædam eius explicatio. Verior autem sententia in sequentibus assertionibus consistit, suppositis ijs, quæ de diuinis præfinitionibus generatim docuimus supra disp. 2. quæst. 10. dub. 6. & 7.

Assertio I. Actus saluatares prædestinatorum, seu in particulari, seu in vniuersali; sicut & certus etiam

gratiæ aut gloriæ gradus prædefiniti à Deo, nõ fuerunt ante præuisionem seu præscientiam conditionatam liberæ cooperationis & determinationis nostræ. Ita communis ac certa omnium eorum, qui eiusmodi scientiam conditionatam agnoscunt, ut generatim dictum cit. q. 10. dub. 6. assert. 3. & 7. vbi etiam probauimus, nec posse quidem à Deo opus liberum vilo modo prædefinari, seclusa scientia media seu conditionata. Ratio assertionis breuiter est. Quia scientia conditionata aliquo modo est necessaria in Deo, & antecedens omnem liberam & absolutam determinationem Dei, seu futuritionem rerum, ut suo loco dictum. Neque vero de hac præuisione seu præscientia cooperationis conditionata est hoc loco controuersia, sed solum de præscientia absoluta.

Assertio II. Decretum diuinæ prædestinationis ante præuisionem operum, seu cooperationis nostræ, respectu omnium & singulorum saluandorum, fuit determinatum ad certum gradum gloriæ tam essentialis, quam accidentalis; nisi quod gloriæ accidentalis supponens necessario peccatum, ante præuisionem absolutam eius peccati præfinitum non potuit. Ita quoad priorem partem sentiunt omnes illi, qui prædestinationem ad gloriæ factam esse docent ante præuisionem operum supra dub. 3. relati. Ratio est. Quia prædestinatio singulorum ad gloriæ ex parte termini primarij, non fuit confusa & indeterminata. Posterioris partis, quæ bene tuetur Suarez l. 1. de præd. c. 10. n. 7. ratio est. Quia alias oporteret fateri, ipsum etiam peccatum saltem virtualiter à Deo esse prædefinitum, cum præfinito consequenti, etiã prædefinitum intelligatur antecedens, ad quod alterum necessariam & intrinsecam dicit habitudinem: peccatum autem prædefinitum à Deo non posse, patet ex disp. 2. q. 10. dub. 6.

Assertio III. Actus saluatares prædestinatorum non fuerunt à Deo prædefiniti primum post præscientiam seu præuisionem absolutam cooperationis seu determinationis nostræ. Ita vniuersim etiam docuimus eodem loco supra cit. q. 10. dub. 6. post assert. 4. quam præter auctores inferius citandos pro assert. 6. tradit etiam Vasquez disp. 99. c. 7. n. 42. nec est quod sciam vllus classicus Doctor, qui oppositum doceat; imò idem Vasquez disp. 99. c. 5. ex communi sententia refellit Catharinum opusc. de præscient. c. vlt. Oforium l. 9. de Iustitia, Cordubam l. 5. q. 5. dub. 10. & Marsilium in 1. q. 45. a. 2. post conclus. 4. qui docuerunt, ad præfinitum saltem malos à Deo præfinitum præfinitione subsequente, non quidem ipsam præuisionem absolutam cooperationis nostræ, sed liberam tamen determinationem nostram, quæ prior est absoluta. præuisione eiusdem, ut suo loco ex communi & certa sententia docuimus.

Ratio assertionis est manifesta: quia præscientia absoluta cooperationis seu determinationis nostræ supponit futuritionem absolutam eiusdem: Ergo supponit etiam præfinitionem eiusdem cooperationis nostræ; quandoquidem ipsa absolute futura esse non potest sine præuia præfinitione Dei, ut bene Vasquez ibidem, & dictum generatim cit. dub. 6. assert. 2. Quomodo enim aliquid boni esset, nisi Deus esse voluisset; in quo consistit di-

uina præfinitio. Cum ergo cooperatio nostra non sit præfinita à Deo primum post præuisionem absolutam cooperationis nostræ, nec actus etiam boni prædestinatorum quantumuis liberi, præfinità à Deo verè dici possunt primum post præuisionem cooperationis nostræ: quandoquidem, etsi actus ipsi in Esse perfecto ratione posteriores sint determinatione seu cooperatione nostra, non tamen hæc minus libera est, quam actus nostri, nec hi ab ea re ipsa differunt. Nec video, quomodo contrarium probabiliter defendi possit.

7 Assertio IV. Actus boni & salutes prædestinatorum, omnes & singuli, etiam in particulari à Deo prædefiniti fuerunt, ante præscientiam seu præuisionem cooperationis nostræ. Sequitur ex assertione præcedenti, eademque ratione probatur. Quia præscientia absoluta cooperationis nostræ, siue etiam actuum nostrorum, non solum non est prior absoluta futuritione cooperationis seu actuum nostrorum, verum etiam nec simul, sed posterior: Ergo etiam est posterior præfinitione eorumdem, quandoquidem futuri esse non possunt, nisi supposita diuina præfinitione, vt dictum.

8 Assertio V. Actus salutes prædestinatorum, in sua causa prædefiniti à Deo fuerunt absque nostro consensu, adeoque ante futuritionem absolutam liberæ determinationis nostræ. Ita non solum docent omnes citandi pro assert. 6. sed ex ijs etiam, qui prædestinationem ad gloriam non existimant factam ante præuisionem meritorum, Molina 1. p. q. 14. a. 13. disp. 18. memb. 3. & Vasquez disp. 99. c. 7. & 8. & est communis: neque à quoquam iure negari potest, vt etiam generatim de quolibet bono & salutari actu virtutis dictum cit. q. 10. dub. 6. assert. 5. Ratio est clara. Quia opus bonum virtutis in sua causa prædefinit Deus hoc ipso, quod prædefinit vocationem congruam, ex qua, supposita scientia media, infallibiliter sequitur eiusmodi opus bonum: at vocationem congruam prædefinit Deus absque nostro consensu, adeoque ante absolutam futuritionem, aut scientiam determinationis nostræ, vt certa & communis habet Doctorum sententia; quandoquidem ipsa est causa-determinationis & cooperationis nostræ: Ergo & ipsum opus virtutis prædefinit Deus in sua causa, absque nostro consensu, adeoque ante futuritionem absolutam liberæ determinationis nostræ. Quod necessario fatendum est, etiam si quis dicat, (quod tamen superius dub. 1. refutauimus) Deum non seligere pro electis gratias congruas; neque efficaciam gratiæ priorem esse cooperatione nostra: quia nihilominus Deus ante cooperationem nostram, ijs qui saluantur, re ipsa decernit eam gratiam, cum qua per scientiam mediam infallibiliter antea præuiderat eos cooperaturos; quo ipso iam cooperatio ipsa & opus bonum præfinitur à Deo in sua causa, ante cooperationem nostram, eiusque præuisionem.

9 Assertio VI. Verius est, Deum actus salutes prædestinatorum, vti & certum gradum gratiæ sanctificantis, etiam in particulari, & iuxta omnes circumstantias, absolutè ac in se ipsis prædefinire, ante futuritionem absolutam nostræ determinationis, siue consensus ad eosdem. Hæc est con-

clusio principalis in hac materia, & de qua sola ferè controuersia hoc loco esse potest; quam tradunt primo omnes illi, qui docent, causam secundam à prima etiam physicè ac intrinsecè prædeterminari ad omnem actionem, speciatim Bannes, Zumel, & omnes Thomistæ recentiores hic q. 23. art. 4. & 7. item Ferrariensis 3. cont. gent. cap. 89. Capreolus in 2. dist. 28. q. 1. a. 3. Eandem assertionem tuentur Suarez lib. 3. de auxil. cap. 17. à num. 8. & lib. 1. de prædest. cap. 10. num. 4. Mascarenas de auxil. disput. 2. part. 4. Henriquez lib. vlt. cap. 5. §. 1. & cap. 11. §. 6. lit. E. F. vbi addit etiam, *omnia & singula bona naturalia & moralia, que in mundo re ipsa fiunt, ad eum modum prædeterminare Deum*; & citat pro eadem sententia Hispalensem, Palatium, Driedonem, Carthusianum, Tapperum, Viguerium, Vegam, item Scotum, Durandum, Heruæum, Bassolem, Maiorem, Liquetum cum Magistro in 1. d. 38. item Ariminensem d. 39. Marsilium in 1. quæst. 45. a. 2. Certè Gabriel in 1. d. 33. q. vn. a. 2. referens sententiam Scoti dicit: *quod voluntas diuina, que est prima regula contingentium, prius natura determinat contingentia, quam intellectus diuinus intelligat illa esse futura*. Et Scotus ipse in 4. d. 49. quæst. 6. §. Dico ergo, ait, *contra naturam voluntatis est, determinari à causa inferiori, quia hoc ipso non esset superior: non est autem contra naturam eius determinari à causa superiori*. Agnosceit ergo Scotus, voluntatem saltem extrinsecè determinari, stante libertate, à Deo velut causa superiori.

Idem planè sentit S. Thomas varijs locis. Et citant 1. p. q. 23. a. 7. docet, quod quemadmodum Architectus ex se ipso excogitat determinatam mensurandam, & etiam determinatum numerum mansionum, quas vult facere in domo, & determinatum numerum mensurarum parietis vel tecti, ita etiam certum esse Deo numerum prædestinatorum, non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum cuiuslibet principalis præfinitionis. Vbi planè loquitur de prædestinatis in particulari, etiam secundum determinatam mensuram gratiæ & gloriæ, adeoque etiam mediorum, quibus ad eam pertingant, vti etiam prius in simili de determinato numero mensurarum parietis vel tecti, ipsarumque mansionum locutus fuerat.

Item in 1. part. q. 23. a. 1. ad 1. & q. 5. de verit. a. 5. ad 1. & 3. cont. gent. c. 90. exponens dictum Damasceni in contrarium obiectum, docet, eum non quameunq; nostrorum actuum prædeterminationem negare voluisse, sed eam duntaxat, que est in impositione necessitatis. Vbi manifestè agnosceit S. Thomas, voluntates nostras à Deo prædeterminari, etià salua libertate: quod generatim pronuntiat, minimè de actibus salutaribus prædestinatorum accipiendū videtur: etsi nō ignorè, eam S. Thomæ explanationem à quibusdam recentioribus, qui hoc loco contrariam sententiam tuentur, reijci & impugnari.

Item in 1. 2. q. 1. t. 2. a. 4. S. Thomas apertè refert diuersitatem cooperationis cum gratia in diuersitatem gratiæ præuenientis, adeoque in decretū Dei diuersa gratiæ dona singulis decernens ac prædefiniens: [Ex parte subiecti, inquit, gratia potest suscipere magis vel minus, prout scilicet vnus perfecti? illustratur à lumine gratiæ, quā alius. Cui? diuersitas

ratio quidem est aliqua ex parte preparantis se ad gratiam; qui enim magis se ad gratiam preparat, plenior gratiam accipit. Sed ex hac parte non potest accipi prima ratio huius diuersitatis; quia preparatio ad gratiam non est hominis, nisi in quantum liberum arbitrium eius preparatur, à Deo. Vnde prima causa huius diuersitatis accipienda est, ex parte ipsius Dei, qui diuersimodè sue gratiæ dona dispensat, ad hoc, quod ex diuersis gradibus pulchritudo & perfectio Ecclesiæ con- surgat; sicut etiam diuersos gradus rerù instituit, vt esset vniuersum perfectum. Vnde Apostolus Ephes. 4. postquam dixerat, *Vnicuiq; data est gratia secundum mensuram donationis Christi, enumeratis diuersis gratiis subiungit, Ad consummationem sanctorum, in adificationem corporis Christi, Et 3. p. q. 7. a. 10. ait: plenitudinem gratiæ vna est plenior altera, secundum quod aliquis est diuinitus præordinatus ad altiore vel inferiorem statum.* Ita S. Thomas. Omitto locum S. Thomæ q. 3. de potent. a. 7. vbi planè etiam physicam prædeterminationem ad singulos actus asserere videtur; quod tamen alibi reuocat, vt dictum supra disp. 2. q. 11. dub. 1.

12 Pròbatur assertio primò ex scriptura, quæ huic sententiæ non parum fauet. Insignis locus est Eccli. 33. à v. 10. *Omnes homines de solo, & ex terra, vnde creatus est Adam. In multitudine discipline Dominus separauit eos, & immutauit vias eorum. Ex ipsis benedixit & exaltauit, & ex ipsis sanctificauit, & ad se applicauit: & ex ipsis maledixit & humiliauit, & conuer- sit illos à separatione ipsorum. Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmarè illud & disponere. Omnes viæ eius secundum dispositionem eius, sic homo in manu illius, qui se fecit, & reddet illi secundum iudicium suum.* Vbi planè significatur, Deum ex se ipso, & ante præuisionem, imò futuritionem absolutam cooperationis & determinationis nostræ, suo arbitratu disponere & præfinire vias nostras & opera, sicut figulus de luto disponit modum formandi vasis: quod quidem pro diuersitate subiectæ materiæ, de operibus bonis & salutaribus à Deo ipso intentis propriè ac positè accipiendum est; de malis autem non nisi quoad permissionem. In quem sensum etiam loquitur Ecclesiasticus c. 11. v. 15. *Dilectio & via bonorum apud ipsum; nimirum peculiari modo præordinata sunt.*

13 Huc spectat illud Prouerb. 21. v. 1. *Cor regis in manu Domini, sicut diuisiones aquarum; quocumq; voluerit, vertet illud; hoc est inclinabit & permouebit illud, vtiq; præuia aliqua, & non solum concomitante vel subsequente dispositione siue decreto.* Item Esther 13. v. 9. *Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, nec est qui tuæ potestati resistere voluntati, si decreueris saluare Israël.* Vbi certè non est sermo de decreto conditionato; quia huic facile est resistere: sed de decreto absoluto, cui licet absolute resistere possimus, fieri tamen non potest vnquam, vt re ipsa non impleatur. Et valde significanter Propheta Ieremias c. 10. v. 23. *Scio Domine quia non est hominis via eius: nec viri est, vt ambulet & dirigat gressus suos: nimirum primordialiter, & secundum primam quasi radicem, ex qua emanant omnia opera bona, salua interim libertate hominis. Quo loco eodem sensu vtitur Am-*

brosius, & ex eodem saepe Augustinus, vt alibi dictum, & denuo inferius dicitur.

Huc spectat etiam illud Ephes. 1. v. 3. *Benedixit Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in Christo, sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipso, secundum propositum voluntatis suæ. &c.* Vbi vim habet illud, Deum benedixisse nos in omni benedictione spiritali, sicut elegit nos; hoc est, secundum quod elegit nos, vt essemus sancti; item prædestinasse nos in adoptionem filiorum, idq; non conditionatè cum dependentia à nostra cooperatione, sed secundum propositum seu placitum voluntatis suæ. Quæ omnia de donis celestibus, & gratia adoptionis, etiam in particulari, deque efficaci & absoluto, non conditionato decreto accipienda sunt, vt inferius ex Augustino magis declarabitur.

Item Ephes. 1. v. 10. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ preparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Vbi rursum preparare seu decernere (efficaci vtiq; decreto) opera bona, vt in illis ambulemus, non significat conditionatum decretum, seu præfinitionem, si nimirum nos ipsi ad ea dererminemus, sed absolutum; alioquin non dixisset, *vt in eis ambulemus*, sed si in eis ambulare velimus. Vnde etiam Athanasius in eadem verba: *Sciens autem, inquit, hæc parauit Deus, quæ differri non poterunt, neque prætermitti, quin peragantur, tanquam diuinitus sint præfinita, idque per multam erga nos prouidentiam.* Si autem solum sub conditione præfinita essent, prætermitti vtiq; possent, non solum in sensu diuiso, sed etiam in sensu composito.

14 Secundò probatur assertio ex SS. Patribus. Certè eam Augustini fuisse sententiam, vtiq; adeo perspicuum est visum aduersariis, vt Faustus Regien- sis duos etiam libros de libero arbitrio aduersus Augustinũ, suppresso tamen eius nomine, scripserit, in quibus eam sententiam magnoperè impugnat, quæ dicit, ante præscientiam boni vel mali vsus liberi arbitrij, Deum absoluto decreto prædefiniisse actus humanos, quibus prædestinati saluantur. Vnde lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 10. explicans Faustus illud, *[Et tunc reddet vnicuiq; secundum opera sua, ait: Aduerte, quia dum dicit, secundum opera sua, salutem hominis, non in prædestinatione factoris, sed in operatione famulantis largitor gratiæ collocauit.] Vbi prædestinatione opponit liberæ operationi hominis, Et c. 11. [Igitur, inquit, dum liberi interemptor arbitrij, in alterutram partem, omnia ex prædestinatione statuta & definita esse pronuntiat, etiã suprema remedia poenitentia sensu abruptè impietatis euacuat. Item cap. 10. exponens illud, Potens est enim Deus statuere illum, ait: Apertè ostendit, statum hominis in diuersa, non pro constitutione Dei, sed pro arbitrij libertate posse versari. Et lib. 2. c. 2. Præscientiã, inquit, & prædestinationem Dei malè intelligunt astruentes, quod inde humanorũ actũ causa nascatur. Et infra: Non ita est; hoc potius agnosce, quod præscientia Dei de materia humanorum actuum sumat exordium. Quid de nobis præscire ac præordinare debeat.*

Deus, quantum pertinet ad futurum, in profectu hominis defectuque consistit. *Et cap. 3. Ac sic, inquit, nisi præscientia explorauerit, prædestinatio nihil decernit.*] Vnde de iisdem Semipelagianis B. Prosper in epist. ad Augustinum: [Remoueri (aiunt) omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio (seu præfinitio) humanas præueniat voluntates.

15 Eandem vero sententiam ipsemet Augustinus in varijs locis non obscure tradit. Vt in libro de prædest. sanct. capite decimo octauo. Intueamur, inquit, *verba Apostoli* (Ephes. 1.) *atque videamus, utrum propterea nos elegerit ante mundi constitutionem, quia sancti & immaculati futuri eramus, an ut essemus? Benedictus, inquit, Deus & Pater Domini nostri IESU CHRISTI, qui nos benedixit in omni benedictione spiritali in caelestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati.* Non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus. Nempe certum est, nempe manifestum est; ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans, ut tales per gratiam eius essemus. Ita ergo nos benedixit benedictione spiritali in caelestibus in CHRISTO IESU, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate, prædestinans nos in adoptionem filiorum per IESUM CHRISTUM, in ipsum. Deinde quid adiungat attendite, secundum placitum, inquit, voluntatis suæ; ne in tanto beneficio gratiæ DEI, placito gloriamur voluntatis nostræ.

16 Et infra: Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorum, non quia per nos sancti & immaculati futuri eramus, sed elegit prædestinavitque ut essemus. Fecit autem hoc secundum placitum voluntatis suæ, ut nemo de sua, sed de illius erga se voluntate gloriatur: fecit hoc secundum diuitias gratiæ suæ, secundum bonam voluntatem suam, quam proposuit in dilecto filio suo, in quo sortem consecutus sumus, prædestinati secundum propositum non nostrum, sed eius qui vniuersa operatur, usque adeo ut ipse in nobis operetur & velle. Operatur autem secundum consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloria eius. Hinc est autem, quod clamamus, ut nemo gloriatur in homine, ac per hoc nec in se ipso; sed qui gloriatur, in Domino gloriatur, ut simus in laudem gloria eius. Ipse quippe operatur secundum propositum suum, ut simus in laudem gloria eius, utique sancti & immaculati, propter quod nos vocauit, prædestinans ante mundi constitutionem. Ex hoc proposito eius, est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum: quia secundum propositum vocati sunt sancti, & sine penitentia sunt dona & vocatio Dei. Ita Augustinus.

17 Quibus verbis non vno tantum modo tradit hanc sententiam. I. quia cum Apostolo absolute, ut verba sonant, docet, Deum nos elegerisse, utique ante determinationem liberi arbitrij nostri, ut essemus sancti; non sanè indefinite solum, & in genere, sed particulatim ac definite, prout decreti diuini perfectio postulat. II. Cum ait, tales (utique in particulari, cum hoc & tanto gradu, non alio; cum his, non alijs operibus) fuisse nos futuros, quia elegit ipse, prædestinans, ut tales per gratiam eius essemus: quo sanè loquendi modo nun-

quam vteretur Augustinus, nec quisquam verè uti posset, de actibus malis & peccaminosis, quantumuis & hos Deus quoad substantiam præfinitur sub conditione, seu concomitanter ad determinationem liberi arbitrij nostri, ut dictum cit. disp. 2. q. 10. dub. 6. assert. 4. Loquitur ergo Augustinus hic de alia præfinitione, quam quæ actibus etiam malis communis est. III. cum ait, elegisse nos & prædestinasse hoc modo ad sanctitatem, secundum placitum voluntatis suæ; hoc est, ex se ipso, non expectato nostro consensu seu operatione. IV. *ut nemo, inquit, de sua, sed Dei erga se voluntate gloriatur*: posset autem homo gloriari, si diuina electio & præfinitio ad sanctitatem nostræ voluntatis consensum expectaret, non præuenteret. V. cum ait, *ex hoc eius proposito esse illam electorum propriam vocatio-* nem, quibus omnia cooperantur in bonum. Vbi perspicue docet, ex proposito & electione ad sanctitatem consequenter decerni & conferri vocationem illam congruam, electorum propriam; ac proinde sanctitatem nostram ac iustitiam à Deo prædestinari & præfinitur non solum mediate in ipsa gratia congrua, sed etiam priusquam gratia, vocans nobis decernatur; cum huius decretum præfinitionem sanctitatis subsequatur, ut inferius dicemus.

Rursum de prædest. sanct. cap. 19. & 20. [Non quia credidimus, inquit Augustinus, sed ut credamus elegit nos, &c. Agit quippe Deus, quod vult in cordibus hominum, vel adiuuando, vel iudicando, ut etiam per eos impleatur, quod manus eius & consilium prædestinavit fieri. Item lib. de bono per seuer. c. 22. Ita se habet, inquit, de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut [ex infidelitate veneritis ad fidem, accepta voluntate obedienti, & accepta perseverantia maneat in fide, &c.]

Et libro 2. de pecc. mer. & remiss. capite 17. cum ex Ieremia cap. 10. attulisset illud, *Scio Domine, quia non est in homine via eius, nec viri est, ut ambulet & dirigat gressus suos, subiungit: Hoc ergo præcipue commendatur, hoc in sapientia & scientia thesaurus in Christo absconditus, quantum existimare audeo, præcipue docetur & discitur. Ideo quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere, nunc scit, nunc nescit; nunc delectatur, nunc non delectatur, ut nouerit, non suæ facultatis, sed diuersi muneris esse, vel quod scit, vel quod delectatur: ac sic ab electionis vanitate sanctetur; & sciat, quam verè non de terra ista, sed spiritaliter dictum sit, Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum.*

Item libro de correptione & grat. capite nono. [Nullus, inquit, prædestinatorum ex bono in malum mutatus finit vitam; quoniam sic est ordinatus, & ideo Christo datus, ut non pereat, sed habeat vitam æternam, &c.] Qui etiam ibidem capite septimo effectus, qui ex vi diuinæ prædestinationis subsequuntur, fusè commemorat.

19 Cum his consonat illud Augustini in Soliloquijs capite vigesimo sexto, ubi ait: [Antequam enim nascerer ego filius ancillæ tuæ, Domine spes mea ab vberibus matris meæ, tu præuenisti, præparasti mihi semitas, quibus incederem & venirem ad gloriam domus tuæ. Priusquam me formares in vtero, nouisti me, & antequam exirem de vulua, quicquid tibi placuit, præordinasti

de me. J. Possent in eundem sensum alia complura ex S. Augustino adduci, sed hæc in præsentiarum sufficiant. Vide tamen paulo post rationem tertiam.

Ex alijs Patribus, præter Athanasium paulò superius adductum, Theodoretus in illa verba Ephes. 1. Elegit nos in ipso, ait: *Ab initio enim, inquit, ante mundi constitutionem, ea que ad nos pertinebant, præsciuit & prædestinuit. &c. Præsciuit nos, & dilexit, & nostram vocationem præconstituit, ut nos filiorum adoptionis donum peresperemus &c. Secundum propositum voluntatis sua.*

Et Hieronymus lib. 3. cont. Pelag. cum ex Proverb. 16. recitasset hæc verba: *Deuolue super Dominum opera tua, & firmabuntur cogitationes tuæ* addit: *Tunc enim vestra cogitatio confirmatur, quando omne quod agimus quasi super stabile & solidissimam petram, Domini adiutorio deuoluimus, eique cuncta repusamus. Deuoluimus autem proprijissimè super Dominum bona opera nostra, quando ea primordiallyter ad ipsam Dei prædestinationem referimus.*

Huc spectant etiam illi Patres, qui docent, Deum malum, etiam poenæ, seu actiones malas non prædestinasse, sed solum bonas. In quibus Conciliū Arausicānū II, can. 25. *Aliquos vero, inquit, ad malum diuina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni desestatione in illos anathema dicimus. Idem repetit Concilium Valentinum sub Lothario c. 3. Et Augustinus, seu Prosper ad articulos falsò impositos a. 10. Dei prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra iustitiam est &c. Adulteria enim maritarum, & corruptelas virginum non instituit, non instituit, sed damnare, non disponere, sed punire. Et a. 10. Nihil talium negatorum Deus prædestinauit ut fieret, neq. illam animam nequiter turpiterq. victurū, ad hoc, ut taliter viveret, præparauit.*

Similia habet Prosper ad obiectiones Vincen-
tianas, & ad capitula Gallorum c. 1. *Prædestinatio-
nis, inquit, fides multa sanctorum scripturarum auctho-
ritatibus iuncta est; cui nullo modo fas est, ea que ab homi-
nibus male aguntur, ascribi. Idem ex instituto probat
Fulgentius toto lib. 1. ad Monimum, vbi intel-
alia: *Quæramus itaq. vtrum credendum sit, Deum ini-
quorum opera prædestinare, pro quibus eos condemnet, si-
cut in sanctis prædestinare dicitur, quod coronet. Et infra:
Iniquos ad supplicium iuste prædestinauit, quia eorum ma-
la opera licet futura præsciret, non tamen ipse prædestina-
uit, ut futura essent, quia non ipse facit, ut facerent. Et
infra: Præsciuit voluntates bonas & malas, prædestina-
uit autem non malas, sed solas bonas.**

Quæ testimonia ad hunc sensum aptissimè in-
telliguntur, quod etsi Deus præfinitione con-
comitante actiones etiam malas, in quantum en-
tia sunt, & præfinitione etiam consequente malū
poenæ, Deus ab æterno præfinit, ut alios Patres
loquentes vidimus supra disp. 2. q. 10. dub. 7. assertio.
1. nihilominus tamen absolutè non prædesti-
nasse aut prædefinisse, non solū quia eas in quan-
tum malæ sunt non prædestinauit, sed etiam quia
non prædestinauit eas, etiam in quantum entia sunt,
prædestinatione absolutà ante cooperationem
nostram; vt bene etiam intellexerunt Molina q.
14. a. 13. disp. 18. m. 3. & Suarez opusc. de cōcurs.

Dei lib. 2. de concurs. Dei c. 4. qui eodem etiam
sensu absolutè negant, Deum actus malos præfinit
seu prædestinasse. Cum igitur SS. Patres doceant,
Deum actus bonos & salutare prædefinire como-
do, quo actus malos non prædefinit, planè senti-
unt, illos absolutè à Deo præfinit, præfinitione
scilicet antecedente cooperationem futuram, &
non solum concomitante.

Tertiò probatur assertio ratione. Primò, quia
qui efficaciter intendit finem, ordine intentionis
prius vult ea media, quæ sunt propiora fini, quàm
quæ ab eo remotiora: at qui liberi actus boni sicut
& ipse gradus gratiæ sanctificantis, libera coope-
ratione prædestinati acquirendus, sunt media
propiora fini, quàm quæ à solo Deo efficiuntur, &
in prima vocatione congrua consistunt: Ergo illa
prius ratione sunt à Deo volita, quàm ista: ergo
si, vt auctores oppositæ sententiæ partim faten-
tur, partim necessariò fateri debent, hæc fuerunt
prædefinita non solum ante præfinitionem libera
cooperationis nostræ, sed etiam ante futuritio-
nem absolutam nostræ cooperationis, multò magis
illa.

Secundò, quia moraliter idem est, eiusmodi
actus bonos in particulari ac in indiuiduo præde-
finiri in se, vel in sua causa: cum ergo negari non
possit, eos absolutè & antecedenter prædefinit
in sua causa, vt dictum assert. 5. frustra negatur,
eos prædefinit in se.

Tertiò. Si Deus antecedenter ad determinati-
onem voluntatis nostræ absolutè futuram, præ-
mouet efficacis gratiæ auxilio ad actiones saluta-
res, tunc etiam easdem antecedenter ad eandem
determinationem præfinit; non solum quia ea-
dem est vtrobique ratio; sed etiam quia illa præ-
motio ex hac præfinitione nascitur: prius enim ef-
ficaciter decernit præmouere, quam re ipsa præ-
moueat: sed verum est antecedens, nec à quo-
quam potest negari: & patet ex Augustino varijs
locis, præsertim lib. de corrept. & grat. c. 14. vbi
ait: *Deo volenti saluum facere, nullum hominum resistit
arbitrium. Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis
est potestate, vt diuinam voluntatem non impediatur, nec
superet potestatem. &c. Non est itaq. dubitandum, volun-
tati Dei, qui in celo & in terra omnia quæcumq. voluit fe-
cit, & qui etiam illa que futura sunt facit, humanas vo-
luntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult,
quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod
vult cum vult facit. &c. sine dubio habens humanorum
cordium quò placeret inclinandum omni potentissimam
potestatem.*

Quod probat etiam ex illo 1. reg. 10. *Et abierunt
potentes, quorum tetigit Deus corda cum Saule: & addit:
Nunquid aliquis dicitur est, non iurum fuisse cum
Saule quæquam eorum, quorum tetigit corda Deus, vt
irent cum illo? aut ipse aliquem pestilentium, quorum vt
hoc facerent corda non tetigit? Et mox de Abisai ex 2.
Paralip. 12. Nunquid ille, inquit, passer aduersari
voluntati Dei, & non potius eius facere voluntatem, qui
in eius corde operatus est per spiritum suum, quo indutus
est, vt hoc vellet, diceret, & faceret? Et infra: *Intus egit,
corda tenuit, corda monit, eosq. voluntatibus eorum, quas
ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo cum voluerit Reges
in terra Deus constituere, magis habet in potestate volun-**

rates hominum, quam ipsi suas, quis alius facit, ut salubris correptio, & fiat in correpti corde correctio, ut celesti constitatur in regno.

Quartò, quia præfinitio hæc ex vna parte nil derogat iustitiæ diuinæ, aut virtuti meritorum, ut dictum supra dub. præc. nec libertati arbitrij, ut dictum cit. disp. 2. q. 10. dub. 7. ex altera verò parte gratiam & perfectionem diuinæ prouidentia, simulquæ amorem erga prædestinatos valde commendat ergo rectius affirmatur, quàm negatur.

25 Quintò, quia id negari vix potest de quibusdam actibus supernaturalibus pertinentibus ad bonum commune omnium prædestinatorum, ut est consensus B. Virginis in opus Incarnationis Verbi: actus voluntatis Christi, quo mortem acceptauit, prædicatio Apostolorum. &c. ut ex cõmuni bene Henriquez lib. vlt. c. 11. §. 2. & 6. & Suarez opusc. loc. cit. Cur ergo negetur de actibus salutaribus prædestinatorum?

An verò idem etiam dicendum sit de actibus bonis, præsertim supernaturalibus, reprobatorum, magis incertum est. Affirmat quidem cum Thomistis recentioribus Henriquez lib. vlt. c. 11. §. 6. lit. E. & Suarez lib. 3. de auxili. c. 17. à num. 8. id probabile tenet, atque ita etiam absolute & indiscriminatim loqui videntur SS. Patres, & ex parte etiam Scriptura loc. cit.

In contrarium tamen videtur esse illud, quod docet S. Thomas hic q. 23. art. 7. vbi erga reprobos tantum generalem tribuere Deo videtur prouidentiam. Cum enim dixisset, certum esse numerum prædestinatorum, non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum cuiusdam principalis præfinitionis, subiungit: Non sic autem omnino est de numero reprobatorum, qui videntur esse præordinati à Deo in bonis electorum, &c.

26 Sed hoc nihil obstat, quo minus supposita reprobatorum existentia, etiam ipsis Deus præfinituerit bonos eiusmodi actus, quando præsertim multi ex illis fuerunt media salutaria ad exequendam electionem saluandorum: & quia id magis Scripturæ & SS. Patribus consentaneum est, ut diximus, rectius affirmatur; etsi quidem sola per se subordinatio causæ primæ ad secundam id minimè conueniat, ut ex dictis disp. 2. q. 10. dub. 6. colligi potest.

Accedit quod Caietanus eod. art. 7. explicans S. Thomam docet reprobatorum numerum ex parte subiecti, seu quoad esse naturale, etiam prædefinitiuè Deo certum esse; quanto magis hoc diceret de actibus eorundem supernaturalibus?

27 Assertio VII. Tamen, ut dictum, electorum actus supernaturales singuli, ut & alij salutare actus eorundem, ac media specialia singula, quibus efficaciter perducuntur ad beatitudinẽ, siue pendeant à solo Deo, siue etiam à cooperatione liberi arbitrij, in indiuiduo & iuxta omnes circumstantias, etiam ante liberam determinationem arbitrij, sint à Deo præfinita; est tamen hoc inter illa discrimen, quod actus illi, eaque media, quæ necessario & essentialiter supponunt peccatum, ut est actus poenitentia, & passio Christi &c. non fuerunt prædefinita ante præscientiã ipsius peccati, quod supponunt: etiam si ceteri præfiniti sint ante præscientiã omnis peccati. Huius assertionis postrema pars patebit ex dub. 8. vbi ex instituto probabim⁹, præ-

destinationem ad gloriam omnium, tam hominum quam Angelorum factam fuisse ante permissionem seu præuisionẽ peccati. Est autem eadẽ ratio prædestinationis seu electionis eorum mediorem, quæ necessario non præsupponunt peccatum.

Prima pars patet ex dictis assert. præced. in qua speciatim de actibus salutaribus electorum quibusunque, siue supernaturalibus, siue etiam naturalibus, quibus efficaciter perducuntur ad beatitudinem actus est; eadẽmq; imo potior est ratio aliorum mediõrum, quæ non ita immedietè pendent à cooperatione liberi arbitrij: è quibus etiam nonnulla, ex aduersa quoq; sententiæ authorib⁹ concedunt, à Deo esse præfinita ante determinationem liberi arbitrij, ut dictum.

28 Secundam partem præter eos, qui vniuersim docent, actus liberos in se non esse à Deo præfinitos ante determinationem, seu quod idem est, ante futuritionem absolutæ determinationis nostræ, in quibus Molina, Vasquez, & alij, docent etiam, Suarez cit. lib. 1. de præd. cap. 10. n. 4. & cap. 13. n. 3. & 10. & lib. de auxili. cap. 17. à n. 8. & fere Henriquez lib. vlt. c. 6 §. 4. & c. 12 §. 2. etsi repugnant Thomistæ quidam recentiores, post Heruzum in 1. d. 40. qui vti putant, omnes actus etiam malos, in quantum entia sunt, prædefiniti à Deo ante liberam determinationem nostram, ita etiam docent, actus bonos tamen necessario supponunt peccatum, præfinitum ab eodem ante præuisionem peccati. Sed probatur ea pars assertionis. Quia qui absolute & sine conditione efficaciter vult aliquid fieri, vult etiã fieri, seu esse ea, quæ ad id necessario supponuntur: ut si Index absolute & sine conditione efficaciter vellet exercere actum Iustitiæ vindictiua, deberet etiam velle, ut sit peccatum, quod actus illè necessario supponit; & si medicus absolute & efficaciter vellet sanare, etiam non supposita præuisione vel existentia morbi, tum is etiam necessario velle deberet morbi existentiam, sine qua sanatio esse non potest: ergo pariter etiam si Deus absolute & sine conditione vellet aliquem actum ex se bonum esse aut fieri, qui necessario & intrinsece supponit peccatum, is hoc ipso etiã deberet velle peccatum, quod is act⁹ necessario supponit: at quivero impossibile est, ut Deus velit peccatum: ergo etiam impossibile est, ut ex se absolute & absque conditione, seu ante præuisionem peccati, velit eos actus bonos, siue media salutis, quæ necessario supponunt peccatum.

29 Assertio VIII. Inter ipsa quoque media specialia salutis à Deo particulatim prædefinita, aliquis est ordo; ut nimirum ea Deus secundum rationem prius præfinitis, quæ sunt propinquiora fini, quàm remotiora, puta actus bonos & salutare prædestinatorum ante auxilia gratiæ præuenientis: certum item gradum gratiæ sanctificantis ante gratiam præuenientem, & fortè etiam ante ipsos actus salutare prædestinatorum. Hæc assertio est ex mente authorum, quos pro assertione 6. citauimus, quam speciatim tuerur Suarez lib. 1. de prædest. c. 13. num. 7. Probatur & declaratur. Quia vniuersim fieri solet etiam in humanis, ut ordine intentionis priora sint media, quæ propius cooperantur ad finem, quàm remotiora, ut suo loco

generatim dictum disput. 2. quest. 10. dub. 6. Et ratio est. Quia propinquiora illa media habent se instar finis, respectu remotiorum.

30 Quia verò dubium videri potest, an gratia habitualis sanctificans propius conducat ad beatitudinem, quam merita hominis adulti, quæ in gratia sanctificante fundantur, idcirco etiam dubitari potest, an merita prædefiniantur ante gratiam sanctificantem, vel è contra. Nihilominus quia merita sunt causa partim dispositiua ad primam gratiã, (loquendo scilicet de merito gloriæ, quod continetur vltima dispositione ad gratiam, quodq; re ipsa iam coniunctam habet gratiam, vt suo loco de gratia dicitur) partim causa effectiua moralis augmenti gratiæ, illiusq; demum gradus gratiæ, cui velut semini gloriæ vltimatè & immediatè responderet destinatus à Deo gradus gloriæ, probabilius est, gratiam sanctificantem habitualem, eiusq; certam mensuram prius à Deo præfinitam esse, quam merita: præsertim cum primum hominis adulti meritum, licet ratione præsupponat gratiam, non tamen naturã; cum è contrario potius ordine naturæ gratia prima sanctificans procedat ab actibus illis bonis, nõ quatenus sunt merita gloriæ, sed quatenus sunt dispositiones ad gratiam, vt suo loco in 1. 2. fusius docetur. Eodemq; modo, licet posteriora hominis merita & ratione & natura supponant priorem aliquè gratiæ gradum in homine, non tamen gradum illum subsequenter, qui per meritum acquiritur, sicut nec gradum vltimum gratiæ homini adulto à Deo per posteriora eiusmodi merita acquirendum.

31 Qua ratione non tantum Vasquez, alijq; auctores refelluntur, qui remotiora illa media prius à Deo intenta & decreta esse docent, quam propiora; sed etiam Molina, & alij, qui vt difficultates omnes effugere videantur, docent, media non cum aliquo ordine prioris ac posterioris, sed simul omnia à Deo fuisse decreta & præordinata; quorum fundamenta satis haftenus, præsertim dub. 2. & 4. refutauimus. Rectè igitur Henriquez lib. vlt. c. 6. §. 4. pronuntiauit, hanc sententiam esse sacris Scripturis ac Patribus consentaneam, vt salua libertate hominis, Deus non solum quosdam, sed omnes liberos hominum actus bonos, cum suis bonis circumstantijs prædefinias. Quod si certa adhuc ratio inuenta non esset, qua hanc sententiam conuincamus, nulla tamen euidenti argumento potest impugnari.

32 Contra hanc doctrinam præsertim assert. 6. & 8. propositam, obijcitur primò, eam prædefinitionem singulorum operum non videri satis consistere cum perfecta & plenissima libertate, & scriptura Eccli. 15. *Deus reliquit hominem in manu consilij sui.* Et c. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus &c.* Eth enim non tollit indifferentiam intrinsecam voluntatis, tamen tollit indifferentiam extrinsecam eiusdè, eam extrinsecus prædeterminando ad omnia illa opera. Et confirmatur. Si homo sciret decreta illa Dei absoluta, non censeretur esse relictus in manu consilij sui: quia iam videret se diuino consilio circa singula præuentum, nec fieri posse, vt in re aliud & aliter fiat. Ergo pariter etiam dum nescit. &c. quia esse relictum consilio suo, non pendet ex ignorantia hominis.

33 Respondeo, negando assumptum. Optimè enim eam conuenire cum libertate docuim⁹ supra disp. 2. q. 10. dub. 7. Neq; verò rectè, aut consonè antiquis Scholasticis, duplex indifferentia voluntatis intrinseca & extrinseca constituitur, quando vna tantum est libertas formalis, eaq; intrinseca voluntati; quæ quam diu nec ab intrinseco, puta ab obiecti apprehensione siue cognitiõe, nec ab aliqua causa extrinseca tollitur aut impeditur, impossibile est, vt voluntatis libertas seu indifferentia villo modo impediatur. Ab extrinseca vero causa tolli non potest, aut impedi, nisi hæc intrinsecè aliquo modo voluntatè afficiat, eiusq; connaturalè agendi modum imutet, vt ibidem dictum. Quare nec proprie admodum dicitur, voluntatem ab ipsa diuina præfinitione per se ac formaliter ad eiusmodi opera prædeterminari; quia hic modus loquendi proprie actionem seu passionem transeuntem significat, cum tamen ipsa per se præfinitio nec actio sit, nec passio transiens: secus est cum intrinsece dicitur: Deum apud se prædeterminasse, seu absoluto & antecedenti decreto statuisse, vt eiusmodi opera fiant, quod est verissimum.

34 Ad confirmationè pariter negatur antecedens: quia scire, se diuino consilio circa singula esse præuentum, nec fieri posse (in sensu composito) vt in re aliud & aliter fiat, non tollit indifferentiam, eiusue notitiam: alias in omni sententia libertas illa tolleretur; quando scimus, saltem in actionibus supernaturalibus & salutaribus, hominè gratiã præueniente ita à Deo præueniri, vt supposita scientia media, in sensu composito, non possit aliud fieri; siquidem ex hypothesi hoc vnum esse futurum Deus præuidit.

Secundò obijcitur; non videri istam præfinitionem congruere cum illa doctrina Patrum, qua docent, præscientiã diuinam non adferre nostris operibus necessitatem; eo quòd hæc non ideo futura sint, quod Deus ea præsciat, sed ideo Deus illa præscit, quia futura sunt. Nam si omnia opera bona essent absoluta voluntate præfinita, falsum esset, Deum ea nosse, quia futura; nam præsciret ea, quia præfinita, nõ quia futura; imò ideo essent futura, quia præfinita: nam illa præscientia esset practica, ac proinde eorum causa. Deinde inutilis fuisset illa ratio Patrum, ad ostendendum, diuinã prouidentiam non adferre necessitatem actibus humanis, si absolutã eiusmodi præfinitionè agnouissent, quæ multo magis videretur obstare libertati.

35 Respondeo, negando assumptum, loquendo, vt res ipsa postulat, de absoluta præscientia visionis. Ad primã probationem respondetur, negando primã partè sequelæ. Ratio enim cognoscendi futura contingentia in Deo varia est; nimirum ex parte obiecti, & ipsa futuritio rei (supposita in Deo ex parte subiecti infinita vi cognoscendi) & ipsa præfinitio absoluta, respectu eorũ obiectorum, de quibus datur; nec vna alterã tollit vel impedit, vt suo loco dixim⁹, disp. 2. q. 8. dub. 6. & 7. Altera pars sequelæ distinguitur. Si enim sermo sit de præscientia absoluta visionis, de qua loquuntur citati Patres, falsa est; si autè de præscientia practica simplicis intelligentiæ, vera est, & ab omnib⁹ necessariò admittitur, iuxta illud Apostoli. *Quos præsciuit,*

Prædestinavit. Item, *non repulit Deus plebem, quam præsumit, &c.* Sed nihil ad propositum; quia de hac non loquuntur Sancti Patres, aut Theologi, cum aiunt, non ideo aliquid futurum, quia Deus id præsciat, sed ideo Deum præscire, quia futurum, ut pluribus dictum loc. cit.

36 Ad secundam probationem respondetur, dictum illud SS. Patrum non eò fuisse ab eis prolatum, ut integram & adæquatam concordiam libertatis cū diuina prouidentia assignarent; sed solū ut eò concordiam libertatis cum præscientia illa speculatiua traderent, quæ ea ratione facillimè explicatur, ut nos etiam suo loco tradidimus. Interim verò nisi diuinam prouidentiam planè negare velimus, aut otiosam reddere, in omni sententia admittendi sunt alij actus prædicti voluntatis & scientiæ diuinæ, ad diuinam prouidentiam spectantes, cum quibus SS. Patres, speciatim Augustinus, Anselmus, & S. Thomas, aliq̄ue Theologi, longe diuersam rationem conciliandæ libertatis tradiderunt, ut dictum cit. disput. 2. q. 10. dub. 7. & supra q. 1. dub. 5. quam si ridet, certè nulla ex parte refellit Caluinus lib. 3. Institut. cap. 13. §. 6.

37 Terrio obijcitur. Si talis præfinitio omnium bonorum operum facta est, tota ratio, cur hic & nunc tale opus cum istis circumstantijs fiat, referenda esset in decretum diuinum, quod tamen videtur absurdum. I. Quia nemo cum id queritur, decretum diuinum allegat; sed vel placitum suæ voluntatis, vel finem à se intentum. II. Quia hac ratione dicendum foret, Deum ex se absolutè velle, ut faciamus interdum opera imperfecta intendi: cum tamen Deus ex se potius cupiat omnes quàm perfectissimè operari. Quare etiam Sancti omnes suum teporem accusant, & queruntur se diuinæ vocationi & gratiæ acceptæ non ita respondisse, ut poterant & debebant: quod frustra facerent, si Deus ex se non maiorem mensuram intendit, sed hanc absolutè præfinit.

Respondeo negando sequelam: non enim sequitur, totam rationem, sed vltimatam rationem boni operis in decretum diuinum, eiusque gratiam referendam: immediata enim & secundaria ratio nihilominus manet penes libertatem operantis; cum decretum diuinum, eiusque gratia præueniat quidem in eiusmodi operibus liberum arbitrium, sed eius cooperationem & libertatem non tollat, nec impediat.

38 Ad primam probationem, quatenus huic doctrinæ obstat, respondetur, omnes qui se gratos student exhibere Deo, suo tempore, cum id in mentem venit, agnoscere & allegare pro causa salutarium suarum actionum, decretum gratiæ diuinæ præuenientis, in qua veluti causa, eiusmodi opera præfinita esse negari nullo modo potest, ut dictum assert. 5. iuxta illud Pauli, *quis enim se discernit? & quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ipsam verò absolutam operum præfinitionem in se, ut pro causa assignent, non est necesse; tum quia hanc, cum subtilis sit & abstrusa, pauci intelligunt; quidam negant. Tum quia si in particulari loquamur, nec hoc quidem satis scimus, an hæc vel illa actio nostra in indiuiduo placeat Deo, & sit.

salutaris ac pia, qualis ad salutem requiritur, iuxta illud Iob 9. vers. 28. *Verēbar omnia opera mea.* Et Eccles. 9. vers. 1. *Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit.*

Ad secundam probationem respondetur, opera imperfecta dupliciter dici posse, primò solum, negatiue & quasi physice; secundo contrariè & moraliter. Posteriori sensu negatur sequela; priori conceditur: nec id est absurdum; cum varietas eiusmodi operationū, vti & varia mensura gloriæ faciat tum ad maiore commendationē diuinæ prouidentia; tum decorem vniuersi, ut superius diximus. Deus autè licet antecedenti & inefficaci quadam voluntate velit omnes perfectissimè operari, consequenti tamen & efficaci non item; vti omnes fateri necesse est. Sicut etiam cum bonitate, actus alicuius absoluta, quem Deus præfinit, stare potest tepor & ignauia in operante, qua sit, ut non plura & maiora operetur, vti absolute posset; quam Sancti omnes, etiam stante illa præfinitione, in se merito & agnoscunt, & accusant: quia præfinitio illa non tollit potestatem absolutam plura & maiora operandi. Vide dub. præced. obiect. 3.

Quarto obijcitur. Pleraque opera iustorū noui testamēti ex sua ratione intrinseca, & ratione obiecti, supponunt Christum, eiusq̄; religionem siue doctrinam, ut est fides Christi, spes in Christum, item vsus Sacramentorum, & opera consiliorum Christi, & alia quæ Christianificiunt, ut vel Christum imitentur, vel ipsi placeant: atqui Christus non erat venturus in carne, si Adam nō peccasset: ergo opera iustorum saltem à toto genere non sunt præfinita ante præuisionem peccati, ut assert. 7. dictum.

Respondeo, negando consequentiam: quia nihilominus Christus prædestinatus fuit ante prædestinationem nostram, & præfinitionem bonorum operum nostrorum, ut dicitur dubio sequenti.

Quintò obijcitur: etsi quidē non sit facilè Deo negandum, si de absoluta potētia loquamur, cum gratiarū dona, & opera bona absolutè, & sine vlla inter se dependentia decreta per voluntatē intentionis, ita exequi posse, ut inter se habeant cōnexionē & dependentiam in ratione meriti & finis; id tamen sine specialissima & extraordinaria prouidentia cura non potuisse fieri; quam Deus, nisi necessitas postulet, adhibere non consuevit: curando v.g. circa eleemosynæ opus in particulari prædefinitum, ut tali temporis momento, tali loco concurrant egenus & diues, &c.

41 Respondeo, supposita scientia media, id esse facillimum; quia per eā Deus nouit infinitos quodammodo modos, quibus res præfinita executioni mandari posset, etiam absque vlla perturbatione vel imutatione cursus quasi naturalis rerum. Nec tamen negandum, circa electos sæpe etiā extraordinariam & specialem prouidentia curā intervenire, ut dictum dub. 1. Quia ratione etiam facile fieri potest, ut omnes particule corporum electorum sint præfinitæ ante præuisionem cursus rerum, quatenus pendent à libertate creaturæ, & ut in vniuerso omnia ita dirigantur & disponantur, sicut ea præfinitio postulat: saltem sup-

ponen-

ponendo, quod secluso peccato hi ipsi, & non alij, ex hac vel illa particulari materia constantes, non ex alia, fuerint prædestinati; de qua re actum est dub. præced. obiect. 6.

42 Sexto obijcitur. Afflictiones & passiones Christi, vt & aliorum Martyrum, non fuerunt prædefinite ante præuisionem malitiæ Iudæorum, seu tyrannorum, suas voluntates ad illa inferenda flectentium; cum tamen sint actus præstantissimi, & excellentissima media prædestinationis, &c. Ergo multo minus credendum est, cæteros actus bonos esse præfinitos ante determinationem nostræ cooperationis & præuisionem peccati.

Ad hoc, omiſſa responsione quorundam, qui negant antecedens, quos bene refellit opponens, responderetur ex dictis assert. 7. negando consequentiam. Tum quia prædefinitio operante præuisionem peccati, per se non pendet aut desumitur ex operis præstantia; sed ex independentia à peccato; qua fit, vt etiam si opus ipsum ita prædefinatur, nõ tamen villo modo nec formaliter, nec virtualiter præfinitum censetur peccatum: secus fit, quando opus ipsum intrinsece dependet à peccato, vt dictũ. Tũ quia aliud est, opus aliquod bonũ prædefinitum ante præuisionem peccati, quod intrinsece supponit; aliud ante cooperationem, seu determinationem ipsius operis & efficietis opus illud bonũ. Etenim passiones Christi & Martyrum prædefinite sunt, ante determinationem voluntatis Christi & Martyrum ad eas passiones re ipsa suscipiendas. vti & opera bona cætera prædestinatorum; sed non ante præuisionem peccati, seu voluntatis malæ, qua Iudæi & tyranni se ad eas passiones inferendas nefarie determinaturi erant.

43 Septimo obijcitur. Dauid non videtur rex fuisse futurus, si Saul nõ peccasset, vt colligitur ex 1. Reg. 13. Eodem modo Ioseph non fuisset factus princeps Egypti, nisi à fratribus fuisset venditus, vt colligitur ex Genes. 37. Nec euerſa per Chaldeos fuisset Ierosolyma, si obſtinatio Sedechiæ nõ fuisset, vt colligitur ex Ierem. 38. Ergo res hæ, quæ tamen nec intrinsece supponebant peccata illa, de quibus sermo est, & sunt maximi momenti respectu gubernationis Vniuersi, nõ fuerunt prædefinitæ ante præuisionem illorum peccatorum: Ergo nec actus cæteri prædefiniuntur ante præuisionem peccatorum, aut determinationem nostræ.

Respondetur primo, negando primam consequentiam. Nam quamuis hæc omnia fuissent præfinita ante præuisionem peccatorum, de quibus in obiectione sermo est, nihilominus tamen fieri poterat, vt antecedentia singula futura non essent, nisi futura essent peccata illa consequentia; eo quod secundum ordinem dependentiæ, seu quoad subsistendi consequentiam, dependenter à peccatis illis, de quibus sermo est, præfinita essent, vt superius disp. 2. q. 10. dub. 6. generatim diximus. Respondetur secundo, ex scriptura plus non colligi, quam res illas futuras non fuisse, si peccata illa non essent, respiciendo ad integrum decretum Dei, quod habebat de rebus illis non tantum præuisionis, sed etiam executionis, quamuis enim Deus habuerit decretum illas res perficiendi ordine intentionis prius præuisione seu per-

missione illorum peccatorum; habuit tamen aliud decretum executiuum, eas non exequendi, nisi ex occasione peccatorum.

Atque hæc de præfinitione particulari bonorum operum prædestinati: ex quibus etiam colligitur, prædestinationem gratuitam ad gloriã absolute quidẽ non niti prædefinitio particulari bonorum operum, vel contra: nihilominus tamen hæc duo optime inter se consentire, & vicissim vnũ ab altero non parum confirmari.

DVBIVM VII.

Verum in diuina mente secundum rationem nostram prior sit prædestinatio Christi, quam hominum, seu Angelorum.

S. Thom. 1. p. q. 23. a. 5.

Questio procedit de ordine intentionis, non executionis: & quia res hæc proprie spectat ad tertiam Partem, vbi de Incarnatione agitur, breuiter est hoc loco absoluenda, suppositis ijs, quæ supra q. 4. dub. 2. de causa prædestinationis ex parte meritorum Christi, dicta sunt.

Assertio I. Christus secundum substantiam, & vt caput hominum, electus ac prædestinatus fuit ante electionem hominum. Ita sentiunt ac docet communiter Theologi, dum asserunt, Christi prædestinationem esse causam (efficientem nimirum, finalem & exemplarem) nostræ prædestinationis; in quibus S. Thomas 3. p. q. 24. a. 4. Caietanus & Thomista recentiores ibidem, Aensis 3. p. q. 3. memb. 3. Bonauentura in 3. d. 11. a. 1. q. 3. Albertus d. 10. a. vlt. Richardus a. 4. q. vlt. Durandus q. 3. Paludanus q. 1. a. 3. vt & alij, qui docent, Christum promeritum esse prædestinationem nostram in ordine ad omnes effectus: in quibus sunt Vega l. 4. in Concil. Trid. sess. 5. Viguerius Inst. Theol. c. 20. §. 8. v. 3. Eckius in Chrysopasso cent. 3. n. 34. Gregorius de Valentia hic q. 23. p. 4. §. 1. Suarez l. 2. de prædest. cap. 22. & 24. num. 12. & 38. & 3. p. t. 1. disp. 41. sect. 4. Vasquez disp. 91. num. 2. & disp. 94. cap. 2. & 4. Denique idem sentiunt non solum omnes illi, qui dicunt Christum venturum fuisse, etiam si Adam non peccasset, in quibus Aensis, Alberrus, Scotus, Rupertus, Galatinus, Viguerius, Iacobus Valentia, Pighius, Catharinus, Eckius, cent. 1. num. 451. Fonseca in Metaph. to. 3. Suarez 3. p. tom. 1. disput. 5. sect. 5. & magis propendet Salmeron tom. 15. disp. 3. Sed ex alijs etiam Albertinus tom. 1. princ. 6. corol. 1. num. 25. Sed & Molina hic quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. 8. integrum relinquit existimare, prædestinationem Christi, si cum singulorum hominum prædestinatione in particulari comparetur, priorem esse nostro intelligendi modo, quam prædestinationem singulorum, qui in ipso prædestinati sunt, tanquam causam & exemplar prædestinationis cæterorum; & tanquam finem, principium, ac fontem; vnde media prædestinationis cæterorum derivata sunt: quicquid antea secus dixisse visus fuerit.

Proba-

2 Probatu assertio primo ex scriptura, quæ sæpe Christum describit, nobilq; proponit ut sine omni creatura, adeoq; & prædestinatorum caterorum, ob quæ videlicet sunt res omnes, & ipsi etiam prædestinati. Est autem in ordinata consultatione ordine intentionis prius illud, quod se habet ut finis respectu caterorum, ut sæpe hæcenus diximus. In hunc sensum Coloss. 1. v. 15. de Christo dicitur, *Qui est primogenitus* (ordine utiq; intentionis, non executionis) *omnis creatura: quoniam in ipso condita sunt uniuersa in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates; omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse ante omnes, & omnia in ipso consistunt. Et ipse est caput corporis Ecclesia, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit ipse in omnibus primatum tenens.* Item Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso* (hoc est per meritum, & in gloria ipsius) *ante mundi constitutionem, & prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum; id est, eius gloriam.* Item 1. Cor. 3. v. 22. *Omnia vestra sunt. & c. vos autem Christi, Christus vero Dei.* Quæ gradatio valde notanda est, ut qua significatur, perinde nos, omniaque nostra ad Christum veluti finem, referri, sicut & cætera inferiora referuntur ad nos; & ipse Christus secundum humanitatem ad Deum. Huc spectat etiam illud Heb. 2. v. 10. *Decebat enim eum* (Christum) *propter quem omnia, & per quæ omnia qui multos filios in gloriam adduxerat auctorem salutis eorum per passionem consummare.*

Secundo idem probatur ex SS. Patribus & concilijs. Ita enim docent Augustinus lib. de prædest. Sanct. c. 18. Chrysostomus hom. 1. in c. 1. ad Ephes. & fauet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. ubi definitur, causam finalem nostræ iustificationis esse gloriam Dei, & Christi, ac vitam æternam.

3 Ratio est. Tum quia Christus est causa prædestinationis nostræ, omniaque effectuum ipsius, ex dictis supra q. 4. du. 2. Tum quia quod est potissimum in vnoquoque genere, solet esse finis caterorum; neque sane vilo modo negari potest, Christum esse causam finalem prædestinationis nostræ: est ergo ordine intentionis prius volitus, quam cateri prædestinati.

Obijcitur. Christus non fuit prædestinatus ante præuisionem peccati, ut communiter sentiunt Thomista: quia iuxta communionem ac verioris S. Thomæ & Theologorum sententiam, quam nos etiã in 3. p. docuimus, Christus non fuisset venturus, si Adã non peccasset: nos vero prædestinati fuimus ante præuisionem peccati, ut dicitur dub. seq. Ergo prædestinatio nostra fuit prior prædestinatione Christi. Et confirmatur ex S. Thoma 3. p. q. 1. a. 3. ad 4. ubi ait: *Prædestinatio supponit præsentiam futurorum; & ideo sicut Deus prædestinat salutem alicuius hominis per orationes aliorum implendam, ita etiam prædestinavit opus incarnationis in remedium humani peccati.*

4 Responderetur cum Caietano in 3. p. q. 1. a. 3. negando primam propositionem. Ad probationem dico cum eodem, etiam si Christi prædestinatio ordine intentionis fuerit prior præuisione seu permissione peccati; nihilominus ordine independentiã, siue secundum subsistendi consequentiam non fuisse priorem; quia nimirum dependenter à permissione peccati volita est: sicut etiam in humanis fieri potest, & sæpe fit, ut finis sit volitus

dependenter à certo medio; v. g. sanitas à sola ambulatione, aut iter ab unico equo, &c. ut in 3. p. pluribus dictum, & supra generatim explicatum disp. 2. q. 10. dub. 5. Ad confirmationem respondeb. S. Thomã solum loqui, aut de præscientia conditionata peccati; aut de prædestinatione Incarnationis ad quæ spectata, etiã ut est remedium peccati: & simul docere, op⁹ Incarnationis fuisse prædestinatã à Deo depêdeterã permissione peccati, nec adeo futurum inquam, nisi remedium effect. peccati, quod nos ipsi etiam fatemur.

5 Assertio II. Idem dicendum est de prædestinatione Angelorum; eã nimirum ordine intentionis fuisse posteriorem prædestinatione Christi. Ita ferè citati, qui magna ex parte generatim de prædestinatis loquuntur. Ratio sumitur ex dictis: præferunt quia Coloss. 1. vocatur Christus *primogenitus omni creatura, & in ipso condita dicuntur uniuersa.* Et Ephes. 1. dicitur, *Deum velle in statuare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, in ipso.* Et probabilius est, etiam gratiam status innocentie, ipsorumque Angelorum, ex Christi prædestinatione ac meritis fuisse deriuatam, ut in 3. p. docui & tradunt S. Thomas in cap. 1. Ioannis Albertus in 3. dist. 13. a. 2. Caietano 3. p. q. 7. a. 9. & 11. Ruardus a. 2. & 8. Catharinus 1. 1. de præd. Christi, Viguierius cap. 20. §. 1. v. 4. Gregorius de Valentia 3. p. q. 8. p. 3. Cabrera q. 8. a. 4. disp. vn. & art. 5. Suárez 3. p. to. 1. disp. 4. 1. sect. 1. & planè sentit Bernardus serm. 22. in Cant. ubi explicans illud Apostoli, *Factus est nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio*, inquit: *Qui erexit hominem lapsum, dedit statim Angelo, ne laboretur; sic illum de captiuitate eruens, sicut hunc à captiuitate defendens: & hac ratione fuit æque vtriq; redemptio, soluens illum, & seruans ipsum: etsi contrarium doceant Sorus lib. 1. de nat. & grat. cap. 6. Vafquez hic disp. 93. nu. 20. & 3. p. d. 12. & 49. ac ferè recentiores Thomista.*

6 Assertio III. Prædestinatio Christi veluti redemptoris, seu quoad carnem passibilem, non fuit prior prædestinatione nostra, seu Angelorum. Ita communis & certa sententia Doctorum cum S. Thoma 3. p. q. 1. art. 3. & in 3. dist. 13. quæst. 2. art. 2. quæst. iunc. 1. Ratio est. Quia Christus vel redemptor, & in carne passibili, non fuit prædestinatus, nisi post præuisionem peccati, propter quod delendum & expiandum Christus in mundum venit, ut passim in scripturis habetur: cum tamen prædestinatio nostra secundum rationem prior sit permissione peccati, ut dicitur dub. seq. Ergo prior est prædestinatio nostra, quam prædestinatio passionis aut mortis Christi, seu Christi in carne passibili siue quod eodem redit, ipsius Christi velut redemptoris: cum redemptio propriè vti que supponat mortem & seruitutem peccati.

Obijcitur: hinc consequens esse, prædestinationem Christi in primo illo instanti factam, fuisse confusam & indeterminatam; quando quidem abstraheret à modo determinato Incarnationis in carne passibili, vel secus.

7 Respondeo propriè nec fuisse confusam, nec indeterminatã; quia hæc sonant positiuum modum act⁹ determinabilis, non sine quadam imperfectione: concedo tamen negatiuè non fuisse in eo instanti

actum.

actum illum determinatum ad modum Incarnationis, sed in aliquo instanti posteriore, uti ex Scripturis necessariò colligitur. Neque verò absurdum est, substantiam rei à Deo præfiniri secundum rationem nostram, ante modum rei: cum modus rei habeat se ad substantiam rei velut medium ad finem, seu consequens ad antecedens; nec absurdum sit, prius ratione præfiniri finem, quàm media, aut antecedens, quam consequens. In quem sensum etiam non nemo ex oppositæ sententiæ auctoribus scripsit, Deum quidem non ita procedere confusè, ut maneat in ipso aliqua confusio, aut actus ab æterno non terminetur ad obiecta distinctè: fatendum tamen esse, actum voluntatis ipsius nostro modo intelligendi, in aliquo signo rationis priori, habere se confusè, & solum in posteriori distinctè. Sic voluntas, inquit, diuina prius ratione terminatur ad finem, quàm ad media; & in eo signo quo terminatur ad finem, se habet ad media confusè; quia in illo signo nondum statuit de illis, sed est indeterminata ad quoduis eorum eligendum, &c. De qua re pluribus actum supra dub. 2.

DVBIVM VIII.

Utrum in diuina Prædestinatione, secundum rationem nostram, prior sit permissio peccati, quàm electio nostra, aliorumque saluandorum.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 1. & 5.

Sensus est, utrum Deus ordine intentionis prius secundum rationem decreuerit permittere peccatum, quam nos ad gratiam & gloriam prædestinauerit, vel contra. Et est multorum Theologorum sententiâ, decretum seu voluntatem permittendi peccatum primi parentis, priorem fuisse in diuina mente, quam decretum prædestinationis nostræ, aut etiam Christi. Ita non solum sentiunt illi, qui dicunt, prædestinationem nostram posteriorem esse præuisione meritorum, aliorumque mediorum, inter quæ est etiam Iustificatio à peccatis, seu ipsa remissio peccatorum; sed etiam ex alijs, qui prædestinationem ad gloriam priorem faciunt præuisione & ordinatione mediorum, non pauci, præsertim Thomistæ recentiores, qui cum S. Thoma docent, Incarnationem Christi futuram non fuisse, nisi peccatum Adami fuisset. In specie etiam ita sentiunt Gregorius de Valentia q. 14. p. 4. Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 9. Molina hic q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 7. Vasquez disput. 93. num. 43. Zumel hic q. 23. art. 2. d. 2. è quibus nonnulli idem sentiunt etiam de permissione aliorum quorundam peccatorum. Fundamentum præcipuum est, quia putant etiam Christum prædestinatum fuisse post præuisionem peccati Adæ; quod tamen dub. præced. refutauimus. Addunt, eandem esse sententiâ S. Augustini & S. Thomæ, ut inferius dicitur. Sed verior videtur opposita sententiâ, ad quam declarandam sequentes assertiones constituimus.

Tom. I.

Assertio I. Angeli fuerunt electi ad gloriam ante præuisionem peccatum non solum Angelorum, sed etiam Adami, & posterorum; atque adeo etiam ante voluntatem peccatum permittendi. Hæc assertio est certa, & extra controuersiam. Ratio est. Tum quia boni Angeli electi sunt efficaciter in eodem instanti rationis, in quo mali licet ineffaciter ordinati fuerunt ad gloriam; ita enim Deus simul utrosque ordinauit ad gloriam, ut in eodem instanti bonos præ malis efficaciter dilexerit: sed mali Angeli utique ineffaciter ordinati fuerunt ad gloriam, ante præuisionem peccati, & ante voluntatem illud permittendi; alioquin per peccatum non decidissent à statu & spe gloriæ; imò nec vnquam verè dici possent ordinati fuisse ad gloriam; quandoquidem post peccatum non amplius fuerunt ordinati ad gloriam. Tum quia electio Angelorum planè independens fuit non solum à peccato Adami, & posterorum, sed etiam ipsorum Angelorum; quandoquidem nullum omnino medium, quo Angeli perducti fuerunt ad gloriam, supponebat peccatum seu Adami, seu Angelorum.

Assertio II. Etiam Adamus electus fuit ad gloriam ante præuisionem peccati, tum proprii, tum Angelorum. Ita citandi pro assert. 4. & videtur adeo vera, ut vix negari possit. Probatur. Quia aliàs dicendum foret, Adamum, si aut ipse, aut Angeli peccaturi non essent, vel non creandum à Deo fore, vel non saluandum: vtrumque verò est absurdum. Sequela probatur. Quia si prædestinatio Adami supponit permissionem peccati seu proprii, seu alieni, utique ab ea secundum ordinationem diuinæ mentis dependebat; nulla est enim alioquin ratio, cur ea permissione posterior constituitur: si autem dependet; aut pender ab ea etiam secundum se & immediatè, adeoque etiam suppositâ existentia ipsius Adami; aut remotè, secundum ipsam existentiam & productionem eiusdem. Si posterius dicitur, ergo Adam non erat futurus, nec à Deo producendus, nisi aut ipse, aut Angeli fuissent peccaturi: Si prius, ergo Adam quamuis futurus esset, etiam secluso peccato proprio & Angelorum, non tamen erat saluandus, quandoquidem prædestinatio & salus ipsius solum dependenter facta dicitur à peccati permissione.

Minor probatur. Quia cum homo per se adeo pertineat ad integritatem & perfectionem totius Vniuersi, planè absurdum est dicere, eum ex occasione solum ruinæ Angelicæ fuisse productum, nec adeo futurum fuisse, nisi Angeli peccassent: præsertim cum creatio Vniuersi prior utique sit peccato Angelorum, qui non extra cælum & in nihilo, sed in ipso cælo creati primum fuere. Nec minus absurdum est dicere, Adamum, quamuis futurus fuisset, secluso peccato proprio & alieno, non tamen absque eo futurum saluum; quasi peccatum proprium aut Angelorum tanti momenti seu adiumenti præbuerit ad prædestinationem & salutem Adami, & ex se non potius impedimentum; peccatum quidem Angelorum ex ea parte, quatenus inde secuta est tentatio & lapsus Adami; peccatum verò proprium, quatenus per se immediatè impedit & tollit propriam cuiusque peccantis salutem. Accedit, quod Adamus ex diuina prædestinatione

Qq

in pa-

in paradiso habuit donum iustitiæ originalis, aliaque gratiæ auxilia, lapsus eius planè antecedentia; quibus optimè poterat saluari.

5 Assertio III. Etiam cæteri homines electi, omnes ac singuli prædestinati fuerunt, tum ante præuisionem peccatorum propriorum, seu personalium, seu originalis à singulis contrahendi. Hanc præter auctores pro sequenti assertione citandos tradit etiam Bassolis in 1. distinct. 41. quæst. vnic. artic. 4. vbi ait, *falsam esse opinionem, quod homines sunt prædestinati ad restaurandum ruinam Angelorum, sic quod si Angeli non peccassent, non fuissent homines prædestinati.* Et cum obiciisset dictum Augustini lib. 22. de ciuit. Dei, vbi ait, *quod Deus de mortali progeie hominum, meritoq; damnata, populum gratia sua colligit; ut inde suppleat & restauret partem, quæ lapsa est Angelorum, ac sic dilectâ & superna ciuitas non frualetur suorum numero ciuium, quin & fortassis vberiore letetur, subiungit Bassolis: sed potest responderi, quod li. 16. non tenetur hic casualiter, sed consecutiue, sicut in multis, ut scriptura impletur, &c. Sicut etiam ipse innuit ibidem, per hoc, quod dicit, de numero vberiore. Per quod datur intelligere, quod fortasse plures homines saluantur, quam sint Angeli damnati; ergo ratio prædestinationis hominum non est restauratio ruina Angelorum, &c.*

6 Eandem assertionem indicat etiam Vasquez hic disput. 91. cap. 3. num. 13. vbi ait: *Ceterum quod in ratione supponunt allegati auctores, nempe peccatum originale in unoquoq; contractum, præuisionem fuisse ante nostram & Christi prædestinationem, manifestè falsum est. Et addit rationem. Inde enim sequeretur, inquit, B. Virginem non solum contraxisse peccatum originale, & cum eo fuisse præuisionem, verum etiam non potuisse per Christum ab eo præseruari. Nam si ante Christi prædestinationem omnes fuerunt præuisionem peccato originali nascitur, meritum Christi nihil illis potuit prodesse, ut ab eo præseruentur; siquidem prior esset præseruatio si alicui concederetur, quam Christi meritum. Sola igitur gratia Dei, absq; illo merito Christi præuisionem, potuit præuenire Virginem, ne peccatum originale contraheret; quod est absurdum: cum omnes faciantur, quamcumq; gratiam collatam posteris. Adde & B. Virginem, fuisse gratiam redemptionis ex merito Christi, ut contra Driedonem disput. præced. cap. 4. obseruauimus.*

7 Sed hæc ratio solum probat, peccatum originale ab unoquoque contractum non fuisse præuisionem ante prædestinationem Christi: cum tamen hic proprie agamus de prædestinatione nostra. Ratio igitur generalis pro prima parte sumitur ex dictis assert. 2. quia Adam fuit ante præcipientiam peccati Angelici prædestinatus: eademque est ratio aliorum hominum. Idè significat August. lib. 11. de ciu. c. 9. & lib. 12. c. 1. & lib. 15. c. 1. & lib. 22. c. 29. vbi significat, ciuitatem bonorum & prædestinatorum æquè coalescere ex Angelis & hominibus absque vilo inter eos ordine. Et in Enchirid. cap. 29. probabile censet, maiorem numerum futurum esse beatorum hominum, quam sit Angelorum. Eodem modo Anselmus in Elucidario dicit, tot homines saluandos esse, quot sunt Angeli beati. Sentiant ergo isti homines non tantum per accidens, & ex occasione Angelici peccati; sed per se etiam fuisse prædestinatos.

8 Ratio secundæ partis est. Tum quia omnes & singuli saluandi prædestinati fuerunt ad gloriam, ante præuisionem mediõrum, ut dictum est dub. 4. ergo etiam ante præuisionem remissionis peccatorum, quibus singuli futuri essent obnoxij; ac per consequens etiam ante præuisionem eorundem peccatorum: quia si ante prædestinationem ad gloriam præcessisset præuisionem peccatorum, debebat prius singulis prædestinari remissio eorundem peccatorum: peccatores enim in statu peccati mortalis cum essent indigni & incapaces gloriæ, ut sic, non poterant prædestinari ad gloriam. Tum quia cum peccata propria, & inexistencia singulis, potius sint impedimenta, quam adumenta salutis, absurdum videtur dicere, prædestinationem & salutem singulorum à peccatis eiusmodi singulorum fuisse dependentem: hinc enim sequeretur, electos non fuisse saluandos, nisi omnes & singuli peccata propria tum personalia, tum origine ex Adamo deriuata contraxissent; quod planè videtur incredibile. Multo enim melius, & maiori iure salutem æternam adissent, si peccata eiusmodi non haberent. Tum quia negari non potest, B. Virginem (supposita immaculata eiusdem conceptione) absque præuisionem vllius peccati in ea futuri, & Ioannem Baptistam, aliosq; similes, absque præuisionem vllius peccati mortalis propria voluntate ab eis contrahendi, fuisse à Deo prædestinatos ad gloriam; quidni ergo etiam alij ante præuisionem eiusmodi peccatorum fuissent prædestinati; præsertim cum prædestinatio omnium electorum post Christum simul facta sit, ut dub. seq. dicitur.

9 Assertio IV. Saluandi omnes, etiam homines, prædestinati fuerunt ad gratiam & gloriam ante præuisionem ipsius quoque peccati Adam, eiusque permittendi voluntatem. Hæc assertio est principalis, & de qua potissimum controvertitur. Ita verò expressè docet Scotus in 3. dist. 7. q. 3. vbi ait: *Sine præiudicio dei potest, quod cum prædestinatio cuiusq; ad gloriam præcedat ex parte obiecti naturaliter præscientiam peccati, vel damnationis cuiusq; & secundum opinionem ultimam dictam dist. 7. lib. 2. multo magis est verum de prædestinatione illius anime (Christi) qui prædestinatur ad summam gloriam, &c.* Et infra: *Potest igitur dici, quod prius natura, quam aliquid prouidebatur circa peccatorem; siue de peccato, siue de pena, Deus præcepit ad illam curiam celestem omnes, quos voluit habere, Angelos & homines, in certis & determinatis gradibus; & nullus est prædestinatus tantum, quia alius præuisionem est casurus: ut sic nullum oportet guardare de lapsu alterius. Idem docent Tartarus, alijq; Scotistæ ibidem. Idem sentit Marfilus in 1. q. 41. art. 2. vbi cum docet, neminem fuisse reprobatum propter opera mala præuisionem, necessario sentit, præuisionem malorum operum non esse priorem reprobatione, ac proinde à fortiori nec prædestinatione: cum reprobi non fuerint prius reprobati, quam saluandi prædestinati. Idem habent Egidius & Gregorius Ariminensis in 1. d. 40. item Eckius in Chrylopraso cent. 1. n. 36. vbi hanc quasi regulam statuit: *Nullum prædestinatum electum esse occasione peccati alterius.* Item ex Thomistis Capreolus in d. 41. a. 2. sub fin. vbi ait: *Ad illud, quod dicit (Aureolus) de exemplo dario de sigulo, (quod nimirum Apostolus loquitur de massa per peccatum originale corrupta: quo supposito, nulli iniuriatur, si eo non redempto ab originali,**

alium misericorditer purget & redimat: Dico, quod Apostolus vultur illo exemplo ad sensum, ad quem S. Thomas loquitur, & non cum illa præsuppositione originalis peccati, &c. Idem ex recentioribus docet Suarez hic lib. 1. cap. 12. num. 8. vbi citat etiam Heruæum, in 1. dist. 40. & ipsum S. Thomam hic q. 3. a. 1. ad 3. & art. 4. hoc insinuantem si attentè legatur.

10 Probatum ex Scoto loco citat. Primò quia Christus fuit prædestinatus ante præuisionem peccati; vt dictum dubio præcedent. & fusius docetur in 3. part. Ergo & nos homines; quandoquidem Christi prædestinatio est exemplar prædestinationis nostræ. Secundò, Angeli, & primus homo fuerunt prædestinati ante præuisionem peccati Adami: Ergo & cæteri homines; cum omnes sint prædestinati in eodem instanti, vt dicitur dubio sequenti. Tertiò. Prædestinatio tam ad gratiam, quam ad gloriam ex se planè independens est à permissione peccati: siquidem neuter terminus inuoluit respectum ad peccatum præteritum; nec intelligitur facta prædestinatio, ratione, vel occasione peccati primi parentis: Ergo nulla ratio est, cur peccati præuisionem supponat. Quartò. Prædestinatio hominum tantum bonum est, vt non sit verisimile esse tantum occasionatum ex peccato. Quintò. Ordinatè aliquid volens prius videtur hoc velle, quod est fini propinquius: est autem supremo fini diuinæ gloriæ multò propinquius gloria & gratia prædestinatorum, quam permissio peccati: ergo Deus illam prius voluit & decreuit, quam istam. Sextò. Deus ante præuisionem cæterorum mediocum prædestinavit homines ad gloriam, vt superius dictum: Ergo multò magis ante præuisionem peccati; à qua multò minus dependebat prædestinatio, seu executio illius. Et confirmatur ex Scriptura, quæ dum de prædestinatione agit, comparat homines luto in manu figuli; quod vt sic nullam habet indignitatem, vt vel in hanc, vel in aliam formam conformetur.

11 Assertio V. Probabiliter tamen dici potest, prædestinationem Adami posterorum in indiuiduo, & quoad ordinem consequentiæ dependentem factam à permissione peccati ipsius Adami: quanquam neque hoc sit necessarium. Probatum & declaratur. Quia, vt sæpius dictum, potest id quod ordine intentionis prius volitum est, nihilominus secundum alium quandam ordinem, quoad subsistendi consequentiam, dependentem esse volitum ab aliquo posteriori; vt finis à certo medio: quemadmodum etiam Incarnationem Christi factam esse diximus ante volitam quidem permissionem peccati, sed dependentem tamen ab ea permissione. Ita ergo etiam in proposito fieri potuit, vt quamuis ordine intentionis omnes homines prædestinati essent ante permissionem peccati, nihilominus tamen illi in indiuiduo spectati prædestinati essent dependentem ab ea permissione; ita vt si ea permissio futura non fuisset, illi iidem numero non essent prædestinati.

Id autem circa posteros Adami re ipsa accidisse, ita probabile redditur. Quia vt iidem omnino homines, qui nunc sunt prædestinati, à Deo prædestinarentur, necesse erat, eos omnes nasci, & ex eadem quoque materia feminis & alimenti progigni & nutriri; quod quæ ratione futurum fuisset, aut sic

ri potuisset, durante statu innocentia, in quo homines in paradiso constituti, & alimenta alia, & patriam aliam erant habituri, difficile est explicare. Valde ergo credibile est, prædestinationem posterorum Adami in indiuiduo factam esse dependentem à permissione peccati ipsius Adami. Quia tamen absolute impossibile non erat, vt Deus iuxta infinitam suam sapientiam & omnipotentiam, modisque infinitis, quos inuenire & in executione adhibere poterat, ad sua decreta adimplenda, ita rerum omnium seriem & ordinem disponeret, vt homines omnino iidem, & ex iisdem corporibus, eademque adeo materia feminis & alimenti constantes progignerentur, non est id quod diximus absolute necessarium, vt bene etiam Suarez hic lib. 1. c. 12. num. 11. & dictum supra dub. 5. præterquam quod etsi concederetur aliam futuram fuisse materiam corporum beatorum, nihilominus tamen eadem numero animæ, à quibus esse hominis præcipue pendet, creati à Deo, absque vlla immutatione ordinis & cursus naturalis potuissent.

22 Contra hanc doctrinam, & præcipue contra assertionem tertiam, & quartam, obijciuntur primò Scriptura, quæ indicat, homines electos ad reparandas sedes Angelorum, iuxta illud Psal. 109. *Judicabit in nationibus, implebit ruinas;* & Ephes. 1. *Instaurare omnia in Christo, quæ in cælis & in terra sunt.* Quod etiam subinde indicant SS. Patres, vt Augustinus in Enchirid. cap. 26. & 29 Bernardus serm. 1. de aduentu, & Anselmus lib. 1. cur Deus homo cap. 16. & 17. Ergo homines non fuerunt electi ante præuisionem peccati Angelorum.

Respondeo, negando consequentiam: quia hæc accipienda sunt de diuinæ prouidentia dispositione iuxta ordinem executionis, non intentionis. Plus enim ex his Scripturis & testimonijs Patrum non colligitur, quam in ipsa executione prædestinationis, ita diuino consilio accidisse, vt ruina Angelorum saluatione hominum replerentur: at verò ipsam prædestinationem & electionem primam hominum ad gloriam, factam esse eo ipso fine, adeoque ex præuisione seu occasione ipsius peccati Anglici, minime colligitur: præterquam quod citata Scripturæ loca ad literam de ruina Angelorum fortè non loquantur.

23 Secundò obijciuntur alia Scripturæ loca, in quibus significatur, aliquos à Deo eligi & euecti ad gloriam, occasione lapsus aliorum: vt Iob 34. *Comeret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.* Apocal. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Ita etiam in locum Iudæ susceptus est Matthias, Act. 1. & in locum Iudæorum vocati sunt gentiles, Act. 13. & Rom. 11.

Respondeo nullum ex his locis loqui de prima electione seu prædestinatione ad gloriam. Locus enim ex Iob potissimum loquitur de euectione ad varios gradus & dignitates huius mundi; vt & locus ex Act. 1. de electione ad dignitatem Apostolatus: cuius generis electiones non negamus factas subinde esse, aut fieri potuisse, ex præuisione ruina aliorum. Locus ex Apocalypsi strictè & in rigore verborum accipi nec potest, nec debet; quia impossibile est, vt corona gloriæ alicui diuinitus prædestinata propriè in alterum transferatur. Sensu ergo accommodo ac-

ciendus est, ut significetur, cuiuslibet inuigilandum circa animæ salutem, ne gloria alicui secundum præsentem iusticiam sub conditione destinata & debita amittatur, eademque occasione quasi in alterum transferatur, qui forte ex occasione talis lapsus cautiore factus, aut maioribus auxilijs gratiæ a Deo præuentus, ad bonam frugem conuertitur, & ita saluatur, ut non raro fit, & cum gentilibus accidit citato Actor. 13. & Roman. 1. Ex quo verborum sensu minimè colligitur, ipsam prædestinationem, seu primam electionem ad gloriam ex præuisione lapsus alieni fieri, sed solam executionem prædestinationis, quod libenter concedimus, ut etiam superius dictum dub. 1. Dici etiam potest, vnum prædestinatum in alterius locum substitui, quasi secundum apparentiam & effectum, dum vno à Deo deserto, alius sanctificatur. Quo ferè modo etiam intelligitur illud Numerorum 11. v. 17. & 25. vbi dicitur, Deum ab-
stulisse de spiritu, quærat in Moyse, & dedisse septuaginta viris: cum tamen interim Moyse de spiritu suo nihil amisit.

14 Tertiò obijcit, quod Augustinus passim ita de prædestinatione hominum loquitur, ut significet eam factam esse ex infecta peccati massa, ut videre est lib. 2. contra duas epist. Pelag. cap. 7. & de prædest. & gratia cap. 3. & lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. & in Enchirid. cap. 49. & lib. de prædestinat. Sanct. cap. 9. & de bono perseuerant. cap. 8. & sæpe alias. Idem significat S. Thomas hic quæst. 27. art. 1. ad 3. quatenus ait, terminum à quo prædestinationis humanæ fuisse *miseriam peccati.* Idemque colligitur ex definitione prædestinationis, in qua habetur vobula, *Liberantur, &c.*

22 Respondeo, Doctores istos loqui de prædestinatione in ordine ad suos effectus adæquatè spectata, non quidem in sensu copulatio seu distributio; sed in sensu accommodato, & in suppositione confusa: si nimirum prædestinatio referatur ad ea salutis media, quæ supponunt peccatum, qualis est ipsius peccati remissio, &c. ut sensus sit, prædestinationem hominum spectatam in ordine ad omnes suos effectus, quos in electis habet, non esse factam ante præuisionem peccati, sed quoad aliquos effectus necessariò supponere præuisionem peccati: scilicet quam in Angelis accidit, in quibus prædestinatio secundum nullum effectum supponit præscientiam peccati. Atque hoc sensu verum est, prædestinationem hominum factam esse ex massa infecta & damnata: eodemque modo intelligitur in definitione prædestinationis, particula illa *Liberantur:* quanquam hæc etiam absolutè de miseria carentiæ supremæ beatitudinis intelligi potest. Quo modo ipse etiam S. Thomas loc. cit. ad 3. ait: *Dicit posse, quod omnis collaris boni supra debitum eius, cui conferitur, ad misericordiam pertineat.*

15 Libentius verò æquitatem diuinæ prædestinationis explicant SS. Patres ex suppositione peccati; quia ea hoc modo facilius intelligitur, atque ad captum populi magis est accommodata: cum tamen interim & ipse S. Augustinus passim, præsertim locis citatis quæst. præced. dub. 1. & S. Thomas hic q. 23. art. 5. rationem & æquitatem diuinæ prædestinationis cum Apostolo defendant & explicant etiam absque illa suppositione peccati, ut superius etiam ex

Capreolo retulimus. Quoties igitur Augustinus, & ex eo S. Thomas prædestinationem explicant per separationem à massa damnata. aut loquuntur de prædestinatione respectu eorum quorundam mediocriorum, supponentium peccatum; aut quasi perfectum declarant causam: quod necessariò dicendum est; tum ob rationes superius allatas; tum ob alia eorundem loca, ut dictum.

DVBIVM IX.

An & quo ordine Prædestinatio nostra se habeat ad prædestinationem aliorum, seu hominum, seu Angelorum.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 7.

1 Non est hic sermo de prædestinatione Christi, de qua iam actum est dub. 7. sed de prædestinatione aliorum hominum, seu Angelorum, cum qua nostram prædestinationem comparamus. Et suppositis, quæ hæcenus dicta sunt, præsertim dub. 7. & 8. potest hæc res paucis expediri. Etenim non desunt quidem nonnulli ex recentioribus defendentibus prædestinationem ad gloriam ex præuisione meritis, qui hæc de re duo docent; Primum, electionem Angelorum factam fuisse ante electionem hominum; eo quod existimant, electionem Angelorum factam esse ante præuisionem peccati Angelorum & originis; hominum verò, post illam præuisionem. Alterum, non omnes homines in eodem signo rationis electos; eo quod aliqui prædestinati & electi fuerint ex occasione ruinæ aliorum; item, quia alij sunt causa salutis aliorum. Nihilominus opposita sententia est verior, quam duabus sequentibus assertionibus explicamus.

2 Assertio I. Inter electionem hominum ad gloriam mutuo, nulla est in diuina mente secundum ordinem intentionis prioritas; sed omnes homines post Christum electi sunt simul, & in eodem signo rationis. Hæc est mens S. Thomæ hic q. 23. art. 7. vbi docet, certum esse Deo numerum prædestinatorum etiam in indiuiduo, non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum cuiusdam principalis præuisionis. Item, numerum prædestinatorum esse per se præordinatum à Deo, ob perfectionem Vniuersi, ad eum modum, quo artifex aliquis excogitat aliquem numerum in partibus essentialibus sui effectus, quæ per se requiruntur ad perfectionem totius. Idem sentiunt omnes illi, qui docent, omnes homines fuisse electos ante præuisionem mediocriorum particularium; quibus ad beatitudinem essent perducendi, quos retulimus dub. 3. Idem expresse docet Suarez lib. 1. de prædest. cap. 12. num. 4. Vbi proinde merito censet, hanc esse sententiam communiorum Theologorum.

3 Probatur primò ex dicto fundamento. Si enim, vti supponimus ex dictis, omnes & singuli homines sunt electi ante præuisionem mediocriorum seu occasionum, quibus in ipsa executione singuli perducuntur ad beatitudinem, tunc nulla est ratio ordinis inter prædestinationem eorundem; quia ratio huius

ordi-

ordinis solum desumi potest ex subordinatione ipsorum obiectorum, secundum quam vnus comparatur ad alterum, si non veluti finis ad medium, certè velut causa efficiens ad effectum; à qua tamen subordinatione prædestinatio ipsa penitus abstrahit, vt dictum: etiamsi in ipsa executione mediorum talis quædam subordinatio intersueriat, ob quam similis etiam prioritas & posterioritas cadit in ipsos actus diuinæ mentis secundum ordinem executionis; quem in ipsa etiam mente agentis per intellectum constituendum esse alibi probauimus.

Secundò. Si esset aliqua prioritas, secundum ordinem intentionis, inter prædestinationem hominum aliquorum ad gloriam, tunc similis etiam prioritas esset inter ipsam vnus gloriam, & alterius: sed hoc dici non potest, &c. Quia vt esset aliqua prioritas secundum ordinem intentionis inter gloriam vnus, & gloriam alterius, necesse foret, vt vnus gloria haberet se per modum finis respectu alterius; quia ordo intentionis est secundum rationem finis & mediorum: atqui vnus electus aut gloria vnus electi, non est finis gloriæ alterius: cum omnes sint eiusdem ordinis, immediate subordinati ad Christum hominem & Deum, etsi diuerso gradu, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 3. v. 23. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.*

4 Tertiò. Deus intendit regnum electorum, etiam sub certa hac & determinata mensura, quam habiturum est, per modum vnus regni, in quo omnes & singuli regnent; item per modum quasi vnus corporis, siue sponsæ, seu ciuitatis cælestis, sub vno rege, capite & sponso Christo: ergo simul intendit omnia membra, ex quibus ipsum corpus constat, & qui veluti ciues per se ad idem regnum pertinent. Consequentia patet. Antecedens probatur ex Scriptura, in qua ita describitur cælestis illa Ierusalem, nempe velut *ciuitas sancta descendens de caelo*; item tanquam *sponsa præparata viro suo*; item tanquam regnum, in quo omnes & singuli regnent, iuxta illud Apoc. 5. v. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum.* Et cap. 20 v. 5. *Regnabunt in sæcula sæculorum.*

5 Assertio II. Electio Angelorum non est secundum rationem prior electione hominum; sed omnes tam homines, quam Angeli, post Christum fuerunt electi ad gloriam simul, & in eodem signo rationis. Ita citati pro præcedent. assertione. Et probatur tum iisdem rationibus, tum maxime ex fundamento opposito contrariæ sententiæ. Si enim aliquis esset ordo inter electionem Angelorum & hominum, ideo esset, quia Angeli electi fuerunt ante præuisum peccatum, homines verò post eam præuisionem, vt volunt auctores oppositæ sententiæ: sed hoc verum non esse, probauimus dubio præcedenti; vbi ostendimus, homines nullo modo occasione ruinæ Angelorum, vel ad eorum ruinam complendam proprie; sed per se & primaria intentione fuisse à Deo electos, non minus quam ipsos

Angelos. Ex quibus etiam patet solutio ad fundamenta oppositæ sen-

tentiæ, quæ in præcedenti dubio ostendimus, non esse rationem, quare homines electi fuerint post Christum, & Angeli ante Christum.

D V B I V M X.

Quisnam sit in mente diuina ordo actuum concurrentium ad prædestinationem.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 4. & 5.

Diuersa est hac de re Doctorum sententia, prout de ordine & processu prædestinationis, in mente diuina, variè sentiunt, vt in hac quæstione dubijs præcedentibus particulatim retulimus. Etenim illi, qui prædestinationem quidem ad gloriam constituunt post præuisionem meritorum, simul tamen discretionem & selectionem gratiæ congruæ pro saluandis ex singulari amore & beneuolentia à Deo factam non negant, communiter hunc ordinem signorum constituunt, vt colligitur ex Vasquio disp. 49. num. 43. Primò Deus voluntate quadam antecedenti & inefficaci omnibus hominibus voluit beatitudinem supernaturalem; & ad hanc etiam statuit eos creare.

Secundò supposita præuisione peccati, & Christi redemptoris, decreuit & discreuit pro adultis, qui saluandi erant, post varia gratiæ dona, quæ vsum rationis anteuertere potuerunt, ea auxilia gratiæ præuenientis, quibuscum eos, spectatis omnibus, efficaciter & cum finali perseverantia cooperaturos conditionata scientia nouerat: pro paruulis autem, eadem seruata proportione, ea media ex parte sua, eamque seriem consimilium auxiliorum decreuit, quibuscum eos antea, etiam adultorum ope, quatenus opus erit interueniente, per eandem scientiam mediam, finalem gratiam accepturos cognouerat.

Tertiò. Vidit Deus scientia visionis, tum illos supradictis medijs absolute ac re ipsa cooperaturos, tum istos iustificandos, cum finali perseverantia. Quod si aliquod eiusmodi medium necessariam & intrinsecam habitudinem inuolueret ad peccatum commissum, seu proprium prædestinati, seu alium, tum id ex veriori sententia vtriusque partis, non fuit prædestinatum, seu præfinitum, ante peccatum illud præuisum, iuxta dicta dub. 8.

Quartò. Efficaciter decreuit vtriusque beatitudinem supernaturalem; his quidem vt hereditatem paternam solum; illis verò etiam vt præmium, ob præuisa merita.

Alij verò nonnulli, (speciatim Lessius tractat de perfect. diuin. lib. 14. cap. 2. à num. 49.) qui specialem discretionem & selectionem gratiæ congruæ ab incongrua pro saluandis negant, & nihilominus tamen electionem ad gloriam post præuisa merita factam docent, hunc ordinem statuunt, quasi populari capiti in primis accommodatum. Primò, inquirunt, Deus ante omnem præuisionem futurorum, infinita sua bonitate inductus, liberè statuit condere naturam rationalem, Angelicam & humanam, vt eam eleuaret ad statum diuinum, & faceret participem suæ gloriæ & suæ beatitudinis, omniumque bonorum & gaudiorum suorum. Neque tamen in hoc signo selegit sibi certum nume-

rum, ex quo ciuitas illa cœlestis constaret; sed omnes omnino nemine excepto ordinauit, vt essent ciues illius ciuitatis, & participes gloriæ illius, cum firmo proposito, eam suo tempore re ipsa omnibus conferendi, nisi per ipsos staret; hoc est, nisi ipsi peccando se eius directioni subtraherent, & indignos redderent.

3 Secundò in hunc finem statuit, ante omnem futurorum præuisionem, omnes Angelos, & primos parentes (in quibus virtute continebatur totum genus humanum) condere in statu gratiæ, cum magnis auxilijs, magnaque facilitate ad perseuerandum.

Tertiò. Quos ex Angelis vidit per auxilia ipsi præparata & donata perseueraturos, vel potius perseuerantes, hos absoluto decreto elegit ad gloriæ; quos autem vidit non perseuerantes in bono, sed per superbiam se eleuantes, reprobauit destinando æternis supplicijs. Quia vero Deus ex hominibus neminem prædestinauit, nisi per Christum, & post peccati præuisionem, hinc fit, quod in hoc instanti ex hominibus neminem prædestinauit, sed in aliquo posteriori, vt dicitur.

4 Quartò igitur, cum Deus hominem in secundo instanti cum gratiæ donis in statu innocentie creatum videret non perseuerantem, adeoque præuiso peccato Adami, & prima illa ordinatione status innocentie per peccatum euerfa, cum totum genus humanum in Adamo esset perditum, misericordia commotus rursus statuit, genus humanum erigere, & nouo modo ad salutem dirigere, prædestinando Incarnationem Verbi, vt humana natura in Verbo existens, & per Verbum sanctificata, iustitiæ diuinæ pro omnium hominum peccatis, præteritis, præsentibus, & futuris satisficeret, & omnibus omnia ad salutem ex parte Dei necessaria mereretur. Propter cuius merita Deus rursus constituit omnibus, quantum conditio status lapsi pateretur, dare auxilium sufficiens, volendo vt omnes adulti eo vterentur, vt illud in opus dirigerent; obligando etiam parentes, vt doctrinam salutis ad posteros propagarent, & magnam eorum curam haberent: quod si fecissent, vt poterant & debebant; vera fides & religio in omnes adultos derivari potuisset.

Quintò. Deus vidit ab æterno, quinam auxilijs, quæ ipse singulis toto temporis decursu daturus erat, rectè vterentur, & per ea in iustitiâ perseuerarent, quinam non perseuerarent, & in peccatis morerentur; itaque illos elegit ad gloriæ, hos reprobauit & destinauit ad pœnas; & ante hanc præuisionem nulla fuit absoluta electio aut reprobatio.

5 Ita hi authores; qui tamen ne gratiæ efficacis auxilium, ipsi quæque perseuerantiæ donum, quorum in supra dicta serie nulla mentio expressè facta est, penitus non agnoscere viderentur, addendum censuerunt, omnibus ijs, qui perseuerant vsque ad finem, fuisse præparatum absolute decreto auxilium efficax, & donum perseuerantiæ, independentet ab eorum libero arbitrio nude considerato, ac pròinde gratuitò secundum modum loquendi Augustini; non tamen independentet ab eorum libero arbitrio, donis gratiæ prioribus instructo: nam vt

Augustinus ait (epistol. 106. & lib. de bono perseuerant. cap. 6.) *Meritis fidei & gratiæ hoc donum possumus suppliciter emereri; & fido certum est; ipsam perseuerantiæ etiam à nobis pendere.* Ijs verò qui non perseuerant, fuit etiam hoc donum gratuita Dei misericordia, quantum opus est ex parte Dei, præparatum: quod autem datum non fuerit tripla, ipsi, causa sunt; quia per ipsos stetit, & non per Deum, quod non perseuerauerint.

6 Verum quia Deus perseuerantiæ conditionatam, sciebat, per quam gratiam quisque esset perseueraturus, & per quam non perseueraturus, quisque singularis beneficii loco ducere debet, si eam gratiam à Domino accipiat, per quam sciebatur perseueraturus; cum Deus aliam illi dare potuisset, per quam nouerat non perseueraturum. Idem, inquit, dicendum de conuersione & alijs bonis operibus. Vnde hanc gratiam semper petere debemus; et si hæc scientia non sit illi ordinaria regula distributionis gratiarum, quas electis vel reprobis confert, &c. Porro hæc gratia non solum complectitur diuinam inspirationem, piamque affectionem voluntatis, sed etiam circumstantias, cum quibus datur, vt loci, temporis, modi, personarum, officiorum, & aliarum rerum, quæ nos mouent ad bonum, atque adeo totam directionem diuinæ providentiæ, quam ipse nobis scit fore salutarem.

Qui tamen non perseuerarunt, non habent quod de Deo conquerantur; quia ex parte sua illis præsertim fidelibus non defuit: nam sincero animo & desiderio salutis eorum, dedit illis auxilium verè sufficiens, mandans vt redderent illud efficax in actu secundo, per illud operando, sicut facillè poterant. Nostrium enim est, postquam gratia Dei instructi, & per eam corroborati sumus, illam reddere efficacem in actu secundo, per illam operando bona opera, & mandata seruando; quod sine iniuria sanæ doctrinæ negari non potest. Quare si hoc non facimus, sed gratiam Dei negligentes, & otiosam relinquentes, auertimus nos à Deo, eius mandata violando, meritò damnamur. Ita isti.

7 Quod si ab illa controuersia de discretione gratiæ congruæ ab incongrua, simul & ab Angelorum electione abstrahatur; nihilominus tamen prædestinatio Christi, & B. Virginis, cum ordine & processu reprobationis includatur, tum ex eorum quidem sententia, qui defendunt prædestinationem ad gloriæ post præuisionem meritorum seu mediorum, à nonnullis hic ordo statuitur. Primò Deus ab æterno decreuit, omnes homines creare ad beatitudinem, quam ipsi affectu simplici desiderauit, qui vult omnes homines saluos fieri. Secundò ex hac voluntate statuit illis dare gratiam in statu innocentie; simul voluit permanere ipsi libertatem arbitrij; vnde etiam voluit peccatum permittere. Tertiò vidit Deus primum hominem cum tota propagine labi; adeoque vidit Adamum peccantem, & in illo omnes. Quartò voluit remedium lapsi adferre: ideo prædestinauit Christum Dominum, & eius merita. Quintò propter Christi merita præseruauit immaculatam Virginem à peccato originali; ceteros permittit illud contrahere: & ex infantibus alios reprobauit propter originale peccatum, cum quo erant decessuri; alijs ex meritis

Chri-

Christi vel baptismum, vel aliud remedium concessit, & sic illos prædestinavit, non ex ipsorum, sed Christi meritis. Adultis verò omnibus gratiam providit sufficientem, qua possent bene vel male vii. Sextò absolute vidit, ex hominibus aliquos gratia bene vsuros, alios male. Septimò absolute & efficaciter voluit bene ventibus gratia conferre gloriam, male ventibus, & in peccato decedentibus æternum supplicium.

In qua omni dispositione prædestinatio, postposita efficaci intentione finis, incipit à voluntate efficaci, seu scientia approbationis de dandis medijs; & primò quidem remotioribus à fine, deinde propinquantioribus, & consensumatur in voluntate efficaci, seu scientia approbationis de danda gloria.

Sed quomodo cunque hæc sententia explicetur, eiusque processus variè instituitur, supposità eadem doctrina, quam hæcenus dubijs præcedentibus tradidimus, multa sunt, quæ probare in eiusmodi signorum, seu instantium serie non possumus. Et initio quidem loquendo de iis, in quibus authores isti omnes conveniunt, non probatur primò, quod prædestinatio ad gloriam tam in hominibus, quam Angelis, ponitur posterior prævisione meritòrum; contra ea quæ docuimus dub. 4. Secundo, quod prædestinatio ad gloriam ponitur non simul, sed posterior ipsa voluntate producendi homines & Angelos salvandos; cum tamen ipsamet existèntia salvandorum sit effectus prædestinationis; ac proinde voluntas creandi includatur in ipsa prædestinatione, ut docuimus supra q. 3. dub. 2. Tertio, quod prædestinationem Christi & hominum constituunt primum post prævisionem peccati; contra dicta hic dub. 7. Quarto, quod prædestinationem Angelorum constituunt ante prædestinationem Christi & hominum, contra dicta dub. 9. Quinto, quod prædestinationem hominum videantur constituere in diversis signis, ut speciatim de B. Virgine in processu postremo loco allato indicatur; contra ea, quæ docuimus hic eodem dub. 9. Sexto, quod negant absolutam prævisionem eorum operum bonorum, quibus prædestinatus quisq; efficaciter salutem consequitur; quodq; prædestinationem recte operationis & perseverantiæ posteriorem faciunt prædestinatione gratiæ prævenientis, contra dicta dub. 6.

Circa secundam verò dispositionem instantium seu signorum, illud sanè speciatim displicet, quòd in ea nulla sit expressa & distincta mentio gratiæ congruæ pro salvandis, & gratiæ incongruæ pro reprobis à Deo designatæ; quasi Deus in gratiarum designatione æqualiter erga utrosque se habuerit, de qua re actum dub. 1. Certè oportebat in quarto signo addere, gratiam quidem sufficientem omnibus, sed salvandis in super specialem gratiam congruam gratis à Deo fuisse prædestinatam; de qua tam multa S. Augustinus in suis de prædestinatione lucubrationibus disseruit; & sine qua ea sufficenter explicari nullo modo potest. Sed veriti fortasse sunt hi authores, ne si eius rei mentionem fecissent, series & ordo prædestinationis minus plausibilis redderetur: quando eo fundamento supposito, omnibus fere difficultatibus ipsi premuntur, quas contra gratuitam prædestinationem aliàs obijciunt; sed à se suaq; sententia alienissimas esse vellent, ut satis patet ex dictis dub. 5.

Taceo, quod in addita notatione dicitur, donum perseverantiæ, de quo tam multa & præclara Augustin⁹ contra Semipelagianos disserit lib. de bono persever. fuisse quidem gratuita Dei misericordia præparatum iis, qui non perseverant; iis verò qui perseverant, significatur fuisse decretum ex meritis, iuxta Augustinum; quasi his non fuerit gratis prædestinatum & collatum: cum tamen Augustinus loquatur solum de imperfecto & improprio merito congrui; quod meritum nec per se infallibile est, nec facit, quo minus aliquid gratis detur, ut omnes docent cū S. Thoma in 1. 2. q. 114. art. 9. ubi disertè pronuntiat, *perseverantiam viam non cadere sub merito; sed Deum gratia perseverantiæ bonum largiri, cuiusq; illud largitur.* Neque dicit Augustinus, omnes adultos prædestinatos donum illud promereri; sed posse promereri; quod commune etià est reprobis; Deo interim gratis quidem hoc donum salvandis prædestinante; ceteris verò, non iniusto quidem, sed occulto iudicio, non itè. Certè longè aliter quam superius relatam, de dono perseverantiæ docere Augustinum; imo verò aperte profiteri, nescire se causam, cur vni donum illud à Deo detur, alteri nō detur; patet ex testimonio eiusdem relatis supra q. 4. dub. 1. assert. 3. & hic dub. 1. Quibus addo hæc apertissima eius testimonia. Lib. de corrept. & grat. cap. 8. ait: [Hic si à me queratur, cur eis Deus perseverantiæ non dederit, qui eam, quæ Christianè vivere, dilectionem dedit; me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum, audio dicentē Apostolum, O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Et; O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei; quam inscrutabilia sunt iudicia eius; & inuestigabiles viæ eius? Quantum itaque nobis iudicia sua manifestate dignatur, gratias agamus; quantum verò abscondere, non aduersus eius consilium murmuremus; sed hoc quoque nobis saluberrimum esse credamus. Tu autem quisquis inimicus ei⁹ gratiæ sic interrogas, ipse quid dicis? Bene quod tenon negas esse Christianum, & Catholicum iactas, Si ergo confiteris, donum Dei esse perseverare in bono vique in finem; cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puro quod mecum pariter nescis, & ambo hic inscrutabilia iudicia Dei penetrare non possumus.]

Et ibidem inferius ita pergit Augustinus: [De his n. differimus, inquit, qui perseverantiæ bonitatis non habent, sed ex bono in malū deficiente bona voluntate moriuntur. Respondeat si possunt, cur illos Deus cū si deliter & piè vivere, nō tunc de vitæ huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorū, & ne fictio decipiat animos eorū. Vtrum hoc in potestate non habuit; an eorum mala futura nesciunt? Nempe nihil horū, nisi peruersissimè atq; insanissimè dicitur. Cur ergo non fecit? Respondeant, qui nos irrident, quando in rebustalibus exclamant, Quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Neq; n. hoc non dat Deus quibus voluerit; aut verò scriptura illa mentitur, quæ de morte velut imatura hominis iusti ait, Rapit⁹ est, ne malitia mutaret intellectū eius, aut ne fictio deciperet animā eius. Cur igitur hoc tam magnum beneficium aliis dat, aliis nō dat Deus, apud quē nō est iniquitas, nec acceptio personarū, & in cuius potestate est, quādiu quisq; in hac vita maneat, quæ tentatio dicta est super terram?

Sicut ergo coguntur fateri, donum Dei esse, ut finiat homo vitam istam, antequam ex bono muteur in malum; cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorant; ita donum Dei esse in bono perseverantia, secundum scripturas, de quibus testimonia multam iam posui, fateantur nobiscum; & cur aliis detur, aliis non detur, sine murmure aduersus Deum, dignetur ignorare nobiscum.]

Et lib. 2. de bono persever. cap. 13. [Dilucide, inquit, ostenditur, & inchoandi, & vsq; in finem perseverandi gratiam Dei, non secundum merita nostra dari; sed donari secundum secretissimam, eandemque iustissimam, beneficentissimam, sapientissimam Dei voluntatem: quoniam quos prædestinavit, hos & vocavit, vocatione illa, de qua dictum est, sine penitentia sunt dona & vocatio Dei: ad quam vocationem pertinere, nullus est homo ab hominibus certa assenatione dicendus, nisi cum de hoc seculo exierit. In hac autem vita humana, quæ est tentatio super terram, qui videtur stare, videat ne cadat. Ideo quippe non perseveraturi, perseveraturis providentissima Dei voluntate miscentur, ut esse discamus non alta sapientes, sed humilibus consentientes, & cum timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur. Deus est enim, qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate. Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit, & credere, & dicere; hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis & submissa confessio & detur totum Deo.]

Et lib. de corrept. & grat. cap. 12. [Nunc ergo Sanctis, inquit, in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, tale adiutorium perseverantia datur, ut eis perseverantia ipsa doneatur: non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nobis perseverantes sint.] Audis ubique ex Augustino, perseverantiam non secundum merita nostra dari, sed ex gratia & beneplacito Dei donari. Omitto cætera.

Circa postremam verò dispositionem instanti, illud speciatim non probatur, quod in ea prædestinatio in tantum constituitur in priori signo, quam adulatorum: quod non solum vniuersim refutauimus dub. 9. sed etiam aliis authoribus communiter parum consonum videtur, qui defendunt prædestinationem ex præuis meritis. Certè nulla eius rei ratio solida potest adferri: quia sicut in adultis ante actum poenitentia, aut gratiam sanctificantem requiritur, gratia excitans; ita in paruulis ante susceptionem baptismi pia cooperatio adutorum. &c.

11 His ergo omisissis, aliter à nobis constituendus est ordo signorum siue instantium in mente diuina, ex dictis. Et initio quidem abstrahendo à Christo & permissione peccati, & loquendo præcisè de actibus, quibus ipsa prædestinatio perficitur, hunc ordinem signorum statuimus. Primò supposita scientia tam naturali, quam media, Deus infinita sua bonitate, & ob gloriam nominis sui inductus, liberè statuit condere naturam rationalem, angelicam & humanam, ad beatitudinem supernaturalem, quam omnibus quidem affectu simplici desiderauit, volens omnes angelos & homines saluos fieri; sed simul tamen etiam quosdam, iuxta suum beneplacitum, certo nu-

mero & in indiuiduo efficaciter destinavit, adeoque etiam creare decreuit ad gloriam re ipsa consequendam, siue per merita & ut brauium, ab adultis; siue solum ut hæreditatem, à paruulis.

12 Secundo gratis præordinavit omnibus quidem, tam hominibus, quam angelis, sufficientiam salutis media, iuxta singulorum statum & conditionem, sed præcipuè simul electis particulatim destinavit, efficacia salutis media; cum hac tamen subordinatione, ut prius iis decreuerit ea media, quæ propriè ad salutem prædestinati concurrunt, ut est certus gradus gratiæ sanctificantis cum perseverantia; deinde in adultis, actus boni & meritorii; in paruulis autem, applicatio Sacramentorum: postea verò etiam alia media præuenientis gratiæ; quò spectant variae opportunitates, occasiones, omnisque illa auxiliorum gratiæ series, qua cum antea per scientiam mediam, eos cum finali perseverantia iustificandos cognouerat.

Tertio verò supposito hoc ordine intentionis, præsciuit Deus absoluta præscientia, tum adultos ita finaliter cooperaturos, tum paruulos per præordinata media gratiam vsque ad finem vitæ retenturos.

13 Quarto voluit ac decreuit voluntate quadam, executiua, quod statutum est executioni mandando, post dictam præuisionem mediourum, conferre gloriam; ut sic re ipsa tandem electis in primo instanti, sine præscientia absoluta meritorum vel auxiliorum, efficaciter obtingere gloria, seu tanquam brauium adultis; seu tanquam mera hæreditas paternæ paruulis; siquidem hic procedendi modus etiam inter homines consuetus est, cum per ipsum, qui intentionis ordinem instituit, facièda est executio, ut superius dictum disp. 2. q. 10. dub. 5. & hic dub. 4. & bene etiam Suarez hic lib. 1. de prædest. cap. 14. & opusc. de auxil. lib. 3. cap. 19. num. 6. In quo processu negotium prædestinationis inchoatur ab efficaci intentione ipsius gloriæ, tanquam finis, & mediante electione mediourum, simul cum scientia visionis de eorundem efficacitate, consummatur in voluntate executiua re ipsa conferendi gloriæ. &c.

14 Quod si actuum diuinorum seriem ad Christum, etiam & permissionem peccati extendere velimus, abstrahendo à modo & ordine reprobationis, de qua quæst. 7. agendum est, tum hunc ordinem constituemus. Supposita nimirum scientia diuina, tam simplicis intelligentiæ, quam conditionata seu media, Deus primò voluit esse gloriosus in creaturis; adeoque voluit gloriam suam, & propter eandem, communicare seipsum ad extra, producendo creaturas, iisdemque sese velut supremum finem præstituendo; nulla interim in hoc signo determinatione singulari facta rerum producendarum; ne cuiuspiam alterius rei productio prædestinata dicatur prius, quam ipse Christus.

15 Secundo voluit gloriam & exaltationem Christi (dependenter tamen à permissione peccati, & abstrahendo à carne passibili) ut nimirum ipse velut homo caput esset & princeps hominum simul & angelorum, adeoque finis secundarius omnis puræ creaturæ.

Tertio voluit creare homines & angelos ad supernaturalem beatitudinem; quam proinde omnibus quidem voluit antecedenti voluntate; quibusdam

autem

autem ad hoc singulariter & in indiuiduo præceteris electis, etiam efficaci & absoluto decreto.

Quartò voluit totam reliquam rerum vniuersitatem producere, itaque conformare, vt & Angelis & hominibus, iuxta suam vniuscuiusque conditionem ac modum, ad suum finem cooperarentur ac ministrarent: simul etiam tum vtrisque sufficientia salutis media decreuit, tum speciatim electis tam hominibus quam Angelis prædefiniuit ea media, quæ nullum necessarium respectum includunt ad peccatum; cum ordine tamen quodam, vt propiora fini prius decerneret, quam remotiora.

Quintò voluit permittere peccatum, tam in angelis, quam hominibus.

Sextò prædefiniuit ea media electis, quæ necessario supponunt peccatum, tum generalia, tum particularia; vt passionem & mortem Christi, penitentiam Confessorum, mortem ac certamina martyrum, de qua re omni in 3. parte fufius disserendum est; neque opus est hæc sigillatim amplius confirmare, cum fere ex dictis sint manifesta.

16 Concludo hanc dubitationem cum Durando in 1. dist. 41. num. 6. qui eiusmodi ordinem, maxime consentaneum esse naturis rerum, & humano modo procedendi, hæc ratione perspicue declarat: Sciendus est, inquit, quod inter electionem & ceteros actus intellectus & voluntatis, in Deo non est ordo prioris & posterioris secundum rem, sed tantum secundum rationem. Nam ubique est ordo prioris & posterioris secundum rem, ubi est realis distinctio; sed inter attributa diuina, de quorum numero sunt electio & prædestinatio, & omnes operationes intellectus ac voluntatis, non est realis distinctio: ergo non est ibi realis ordo, sed solus secundum rationem. Et nunc debemus considerare ex reali ordine, quem habent actus tales in nobis, in quibus differunt secundum rem. Vt enim prius dictum fuit, qualem ordinem realem habent aliqua, ubi sunt distincta realiter, talem ordinem rationis habent, ubi sunt distincta secundum rationem.

17 Est ergo notandum, quod in nobis omnem actum voluntatis præcedit aliquis actus intellectus. & c. actus autem vo-

luntatis de fine, præcedit actum intellectus practici, quo consiliatur de his, quæ sunt ad finem. Hunc autem actum intellectus practici sequitur electio, quæ est appetitus præcõsiliati. Contingit autem, quod illud cuius est electio, sit finis quorundam aliorum, & ex illo rursum ratiocinatur intellectus practicus de his, quæ sunt ad illi finem, qui est finis sub fine, & tunc electio primi præcedit secundum actum intellectus practici: sed iste secundus actus præcedit secundam electionem. Ergo talis ordo est in nobis secundum rem.

In Deo autem est similis ordo secundum rationem. Quantum n. spectat ad propositum nostrum, Deus primò scit suam beatitudinem, & possibile nobis communicari: hanc notitiã sequitur voluntas communicandi eã aliquibus: ex hac voluntate, quæ est finis, ratiocinatur intellectus practicus, quibus communicabitur, & quibus non; & hic actus vocatur consilium diuinum & c. Hoc autem consilium sequitur electio (nimirum ad gloriam) & c. Adhuc illud cuius est hæc electio, habet rationem finis respectu eorum, per quæ electus ad talem finem deducetur: & ideo ex hoc rursum consiliatur intellectus practicus, quæ sunt conferenda electis, vt consequantur finem, ad quem eliguntur; conclusio autem huius consilii dicitur prædestinatio. & c. Hoc autem consilium sequitur ultimo electio vel propositum conferendi talia auxilia; & hic terminatur processus interioris intentionis. & c.

18 Et rursum nu. 9. ita concludit Durandus: Iste ergo videtur esse processus secundum rationem in Deo; quia primò vult beatitudinem communicare; secundo consiliatur, quibus communicabit eã, & per conclusionem consilii approbat quibus communicabit. Tertio illos eligit. Quarto consiliatur, quæ auxilia conferenda sunt electis, ad consecutionem finis, & conclusio huius consilii est prædestinatio. Quintò & ultimo sequitur propositum conferendi talia auxilia. Hactenus Durandus, ubi tamen quod simul indicat, reprobationem in eodẽ instanti factam esse, quo electio ad gloriam, quæstione sequenti refelletur. Sicut & de eo, quod electionem à prædestinatione ex parte termini distinguit, actum est superius q. 2. dub. 1. & q. 3. dub. 1. & vniuersim quomodo prædestinatio se habeat ad dilectionem, electionem, præscientiam, prouidentiam, explicauimus supra q. 2. dub. 3.

QVÆSTIO VI.

De Infallibilitate, immutabilitate, & concordia Prædestinationis diuinæ cum libero arbitrio.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 6. & 7.

Absoluitur hæc quæstio quatuor dubitationibus. I. An & quomodo prædestinatio sit certa & immutabilis, certusque numerus prædestinatorum. II. Quantus & quàm conueniens sit prædestinatorum numerus. III. Vtrum prædestinatio sit in nostra potestate, aut saltem cum libertate arbitrii nostri consentiens. IV. An & quæ ratione de nostra prædestinatione certi esse possimus: & quænam sint diuinæ prædestinationis signa.

DVBIVM I.

An & quomodo Prædestinatio sit certa & immutabilis; certusque numerus Prædestinatorum.

S. Thom. 1. p. q. 23. a. 6. & 7.

Quid de hac re sentiendum sit, cū S. Thoma loc. cit. sequentibus assertionibus declaramus.

|| Assertio I. Prædestinatio diuina est certissima, & prorsus infallibilis. Ita S. Thomas quæst. 23. art. 6.

& in 1.